TRACTATUS DE STATU PARUULORUM SINE BAPTISMO DECEDENTIUM EX...

Florence Conroy, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 K
6 M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8. 30. K. 6

TRACTATVS DE STATV PARVVLORVM SINE BAPTISMO DECEDENTIVM EX HAC VITA:

iuxta ſenſum B. AVGVSTINI.

Compoſitus

A F. FLORENTIO CONRIO
Hiberno, ad Archiepiſcopatum Tuamen-
ſem ex Ord. Minorum Regul.
Obſeru. adſumpto.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LOVANII,
Ex Officina HENRICI HASTENII,
Vrbis & Academiæ Typographi.

M. DC. XXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ill.mo ac R.mo Dno Cardinali de Treio
ex dono Authoris.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTR^mo^. ET REVEREND^mo^.

DOMINO

D. GABRIELI DE TREIO

S. R. E. PRESB. CARDINALI TITVLI S. PANCRATII,

SALVTEM.

HOc opuſculum de paruulis & quia ab authore tenuis cùm iudicij, tùm ingenij prodit, & quia mole eſt admodùm exiguum, nihil videtur continere, quod ſuadeat, aut inducat, vt viri alicuius vel authoritate præcellentis, vel dignitate conſpicui patrocinio dignum exiſtimari poſſit. Porrò quoniam in eo ego controuerſiam mihi ſuſcipiendam videbam cum aduerſarijs & numero plurimis, & doctrina admodum inſtructis, quorum vel poſtremus, ſi meis dũtaxat viribus niterer, non difficulter me ſuperaret; illud diligentiſſimè curaui, ne

Digitized by Google

quid hùc meum adferrem, ſed vniuerſa depromerem ex D. AVGVSTINO, omnium Scriptorum poſt Canonicos totius Eccleſiæ iudicio & conſenſu anteſignano, & cuius diuini ingenij ſubtilitas, ac profunditas tantùm apud me valet, vt nihil tam paruum ſit ab eo ſcriptum, quod ego auro gemmiſque totius mundi non longè præferam. Vndè in aliquam ſpem fui adductus, non defuturos, etiam ex illuſtriori doctorum hominum ordine complures, quibus huius libelli, quem ex eius operibus contexui, lectio non ſit diſplicitura. Primus autem in hoc ordine Tu occuriſti, Ill^me^ D^ne^, cuius nomini eum inſcribere, & tua in me beneficia, & meum erga te ſtudium planè ſuaſerunt. Quem enim in obſequium tuum non attrahant humanitatis officia, quibus me in aula Catholica degentem beneuolentia tua ita cumulauit, vt ingratus meritò dici poſſem, ſi eorum memoriam animo non circumferrem. Quæ profectò ſi neque tanta, neque tam illuſtria fuiſſent, quanta fuiſſe ipſe confiteor, nonne Ill^mi^ Fratris tui D^ni^ Fratris

ANTO-

ANTONII DE TREJO quem ex Generali Miniſtro totius Seraphicæ Religionis, Eccleſia Carthaginenſis fœliciſſimis auſpicijs Epiſcopum accepit, plurima in me beneficia vel ingratum quemlibet deuincirent. Certè cum in Vrbem à Catholico REGE piæ memoriæ, PHILIPPO Tertio cum officio Oratoris extraordinarij pro terminanda controuerſia de immaculata Conceptione miſſus veniſſet, ita in me affectu, quem ipſius præclara virtus, & eximia bonitas, non mea verò merita prouocarunt, efferbuit, vt indè ad me ſcripſerit optare ſe plurimùm, enaſci aliquam occaſionem, quæ nos loco ſemper coniungeret. Quem tam bonæ voluntatis, & tam Sanctæ charitatis teneritudo non emolliat? Sanè ſi vel ex hoc ſolo capite (vt interim cætera ipſius in me beneficia prætermittantur) illius religioſâ præſentiâ, & piâ conuerſatione potiundi ſtudio maria tranſmitterem, æquitati omninò eſſet conuenientiſſimum. Sed cùm hoc mihi non ſit integrum, non mediocri conſolatione me afficit recordatio cum Inſtituti

Seraphici Patris Noſtri FRANCISCI, tùm magni illius Conuentus Salamanticenſis pijſſimæ matris & alumnæ meæ, qui me tam Sancto, tamque ſublimi honore indignum non ſolùm plurimorum aliorum Dei famulorum, virtute ac doctrinâ omninò ſingularium, quorum precibus æternitatis gaudia conſequi plurimùm ſpero: ſed inſuper præfati Ill^mi^ Fratris Tui, mihi in Chriſto longè dilectiſſimi, viri rariſſimæ cùm ſcientiæ, tùm virtutis in Seraphica Religione Fratrem effecit. Igitur hoc ſolo titulo ſi omnes alij deeſſent Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ, non leuitèr me obſtrictum eſſe agnoſco: quamquam minimè neceſſum videatur hùc cõfugere, cùm ipſam Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram Seraphici Patris Noſtri Filium habeamus, cuius Ordinem promiſcuè, & nõ poſtremò Patres Prouinciæ Hibernæ, ſicut & totam Hibernicam nationem, diligit, & non exigua cura promouet. Porrò, vt veteribus beneficijs iam denuò nouum accedat, non dedignetur obſecro huius opuſculi patrocinium ſuſcipere. Neque verò authoris,

vel

Digitized by Google

vel veriùs compilatoris tenuitatem inſpiciat, ſed admiretur potiùs profundam, & omni ſtupore dignam eruditionem illius Doctoris, ex cuius operibus hoc totum eſt excerptum & confectum, & cui in quodam ſcripto ſuo planè docto, quod ego legi, Illuſtriſſima Veſtra Dominatio hoc tribuit elogium: *Satis ex ſeipſo præcellit omnes* AVGVSTINVS, *nulli comparandus, nunquam ſatis laudatus, aut laudandus.* O veriſſimum teſtimonium, quo non mediocriter conſolari poſſunt omnes genuini huius magni Eccleſiæ magiſtri ſectatores & diſcipuli! Cui igitur potiori iure hæc D. AVGVSTINI ſententia de paruulis tot tantiſque æmulis, & oppugnatoribus expoſita, dedicari debuit, quàm Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ: quis meliùs eam aduerſus quorundam hominum inſultus, & artes protegere poteſt, quàm ille, qui doctrinæ D. AVGVSTINI eſt addictiſsimus? cuius dignitas in Eccleſia Dei ampliſsimam authoritatem habet; cuius Illuſtres dotes apud S^mum. D. N. Vrbanum Octauum, & Illuſtriſsimos confratres

ſuos

ſuos Cardinales fauorem ac venerationem obtinent, cuius priſcam nobilitatem, exquiſitam doctrinam, non vulgaria merita Catholicus REX, glorioſæ memoriæ, PHILIPPVS Tertius in diuerſis Conſiliis Conſiliarij dignitate, & tandem ſua Sanctitas purpuræ honore digna iudicarunt. Accipe igitur, Illuſtriſsime Domine, benigno animo oblatum tibi opuſculum, & ſanctiſsimum AVGVSTINVM ſolito cultu venerari pergas. Interim Deus Opt. Max. Illuſtriſsimam Dominationem Veſtram, quandiutiſsimè ſeruet incolumem.

Illmæ Veſtræ Dominationi

Addictiſſimus

F. FLORENTIVS CONRIVS
Archiepiſcopus Tuamenſis.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ARbitror eundem illum, qui Purpurariæ illius in Actis Apoſtolicis mentem prædicationi Pauli attentam reddidit, me quoq; ſingulari quodam beneficio in lectionem operum D. Auguſtini excitaſſe: in quibus legendis perſcrutandisq; iam complures Annos inſumpſi, & quamquàm non multùm fortè profecerim, hoc ſaltem ſum aſſecutus vt non obſcurè videam, quàm procùl nonnulli Recentiores Scriptores ab Auguſtini ſenſu in quibuſdam myſterijs aſſequendo diſtent. Cum ex eis alij affirment eum in illis nunquàm plenè aut certò mentem ſuam expoſuiſſe, alij verò contendant ipſum veram eorundem myſteriorum interpretationē non vidiſſe, quam quidam huius ſæculi ſcriptores ſubtiliter admodùm repererunt. Neq; hoc, vt aiunt, mirabile dictu videri debet: fuerit enim D. AVGVSTINVS magnus & omninò admirandus Doctor, hoc tamē non obuiat quo minus aliquis Recentiorum Scriptorum longiùs quam ipſe proſpiciat; non aliter ac Pigmæus inſidens collo alicuius gigantis longius quaqua verſùm ipſo gigante cernit. Ego tamen hac in re vt ingenuè fatear, longè alterius ſum iudicij; ſi enim AVGVSTINI ingenium aſpicio nihil mihi magis ſtupeſcendum videtur, cum ſolo ſpiritu veritatis magiſtro, ad totius ſapientiæ culmen aſcēderit. Iam verò opera eius nonne omnem omninò ſuperant admirationē: Quas hæreſes in his non proſternit? quæ fidei myſteria non explicat? Captiuauit ſanè Chriſti ſponſa Eccleſia Catholica intellectum ſuum iam indè à temporibus Apoſtolorum in obſequium plurimorum fidei arcanorū, quæ quamuis ab ea caſtè credita nūquam tamen adeò plenè intellecta, vel claré explicata fuerūt, antequam Diuina prouidentia ſanctiſſimum hunc Doctorem ſuſcitauit, qui ea tam fæliciter tractauit, vt vniuerſa quibus hæretici tenebras offundere machinabantur, vel quæ in prauos ſenſus detorquebāt, admirabili prorſus ſapientia defenderit & illuſtrarit. Diuina enim bonitas quæ firmam humilemq; fidem dono intelligētiæ veluti præmio conſueuit afficere ſcriptura ſecundum Auguſtinum Iſai.7.

** teſte

teſte, Niſi credideritis, non intelligetis, *Eccleſiæ ſuæ de hoc ſanctiſſimo Magiſtro prædictorum myſteriorum clariſſimo interprete dignata fuit prouidere. Vnde quò frequentius & diligentiùs ſiue ingenium ipſius, ſiue opera contemplor, eò vehementiùs eius gloriam promouere concupiſco. Ac proindè, quantũ in me ſitum erit, ſemper adnitar, ne eam recentiorum hominum ſimiles cenſuræ vllâ ratione extenuent, vel fulgentiſſimos radios ſapientiæ, quam ille cœlitùs ita hauſit vt Eccleſiam vniuerſam illuſtrarit & ſimul hæreſum tenebras diſſipauerit, vllis imminutionis nubeculis obducant, vel deniq; amatores veritatis ab eius lectione retardent. Neque parùm in hoc ſtudium me accendit iudicium ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ eius mentem in ijs myſterijs quæ vel non intellexiſſe vel non ſatis explicuiſſe dicitur, ſemper eſt amplexa. Quod fortè non leuiter nutaret ſi ſanctiſſimus Magiſter myſteria illa vel non intellexiſſet, vel certe ambiguâ & obſcurâ interpretatione tantùm declaraſſet. Indè enim conſequi videretur illam Chriſti ſpõſam, cui ſpiritus veritatis aſſiſtit in negotio tanti ponderis ſequutam fuiſſe doctorem illa arcana, aut non capientem, aut non ſatis explicantem. Neq; hoc ſolùm, ſed etiam Auguſtinum quem priſca ſæcula in omni ſcientiarum genere gigantem venerata ſunt, hac noſtrâ ætate, qua in immenſam ſapientiæ magnitudinem nõnulli ſuâ opinione excreſcũt, illo qui ementitâ fortaſſis humilitate Pigmæus dicitur, minorem effici. Et enim qui Auguſtinum (neſcio quo modeſtiæ colore) gigantem, & modernum eius humeris impoſitum, Pigmæum vocat, vt indè concludat modernũ ipſo longiùs proſpicere: quid aliud ſibi præfigit, niſi vt modernum ſcriptorem in eruditione gigantem, Auguſtinum vero Pigmæum euincat? quo ſolo exemplo doctrinæ Auguſtini quiuis modernus ſuam pro arbitratu præponere poſſet. Quod ſi ita ſe res habeat quis pacato animo tantam arrogantiam humilitatis fuco palliatam ferre queat? Igitur benigne lector, vt huiuſmodi ſugillationes aliquâ ratione reprimerentur, vtq; exemplo oſtenderetur hos Nanogigantes genuinam ſancti Doctoris mentẽ non aſſequi, cùm cogitur (vt ipſe loquitur lib. 1. de Trin. c. 3.) per quadã denſa & opaca*

Homil. 32. & tract. 29. in Ioann.

viam

Digitized by Google

viam carpere, hãc quæſtionem de paruulis diſcutere volui: in quâ ſi oſtenſum fuerit principia Auguſtini (Scripturis & ratione naturali diligenter inſpectis ac diſcuſſis) ſolidiſſima & ſimul clariſſima eſſe, illoſq; ea non fuiſſe aſſequutos: perſpicuum, vti reor, euadet, illius mentem in profundiſſimis & obſcuriſſimis myſterijs, eis tam celeriter non elucescere. Hoc ſi præſtiterimus quis audebit gloriari ſe Auguſtinum curſim ac tumultuariâ lectione, peruoluendo intelligere? Quisquis eſt, magnus eſt, magnificet Deum. Ego ſaltem neminem vnquam talem cognoui, & ſi ſcirem vbinam terrarum poſſet reperiri, lubẽs prolixa itinera ſuſciperem, eum viſurus, petiturusq; humiliter ab eo explicationem multarum in Auguſtino difficultatum, quæ iam plurimorum annorum decurſu me anxium detinent. Vndè omninò cenſeo lectionẽ huius magni magiſtri vt in altis myſterijs de quibus tractat capiatur, poſtulare hominem, non qui magnam curam impendat legendis, citandiſq; varijs authoribus, & conſcribendis plurimis voluminibus, ſed primò qui ſit ab omni alio penè ſtudio expeditus; deindè qui ingenio vigilanti ac ſobrio polleat; poſtremò qui à præcipitata conſuetudine, incerta, aut dubia pro certis aſſerendi, prudenter abſtineat, ſeque etiam omninò cohibeat à peruicaci ſtudio proprias opiniones defendendi, eiſque quicquid contrariari videtur accommodandi. Quæ omnia quemadmodùm non niſi in pauciſſimis iunctim inueniuntur: ita rariſſimi ſunt qui ad abſtruſiora doctrinæ Diui Auguſtini ſecreta attingunt. In hoc opuſculo temeritate aſſerendi per gratiam Dei credo me caruiſſe: ſed modeſtè abſurda quæ ex contraria opinione ſequi videbantur ſine affirmatione ſignificaui, idq; ſuppreſſo authorum nomine, ne fortè eos exulcerarem. Extuli ſæpius laudibus ſanctiſſimum magiſtrum, vt ſolidæ veritatis amatores ad eius lectionem prouocarem. Vtinam Tullianæ linguæ facundia mihi contigiſſet, vt pro dignitate eum laudarẽ. Sed nec ita vlla eius meritis par reperiri poſſet oratio. Nullus ſpero quantũuis inuidiâ ſtimulatus vitio mihi vertet quod ſubindè in ſanctiſſimi viri laudes excurrerim, eumque citra omnem iniuriam cæteris theologis prætulerim, quem ipſi ſibi non

auderent non anteponere. Relinquerem omninò locum iuſtæ querelæ, ſi illas in eum laudes congererem quibus aliquis, neſcio quis quemdam ſuorum (in Epiſtola ad Lectorem Tom 3. illius authoris quē ſuper aſtra cæli extollit) non dubitauit cumulare ſequentibus verbis. Nam ſuperiorum operum dignitatem & gloriam nemo non videt, ſi modo videt aliquid, aut certè audit quid de tāto Theologo atq; eius clariſſimis monumētis, prædicet fama, quę inuidiam & obtrectationē magnorū ingeniorū aſſeclam tēpore deprecāte non modo Theologiæ Gymnaſia oppleuit, ſed in ipſos Orbis axes, ac cœli ſinus incurrens ingenti quadam Echo longè ac latè crebreſcente vbiq; reſonat, & vix eſt vllus niſi circūforaneus aliquis Theologus, cui nihil niſi quod humile eſt atq; vulgare arridet, aut nebulo & ardelio quiſpiā qui ſe de ſuis nugis miſerè amat, vt ſunt certè nōnulli homines futiles ingenio, & ad inanes atque falſas argutias nati, qui N. ſummū ingenium & res quaſi humano faſtigio celſiores non miretur indiès magis mactetque laudibus. *Stupenda profectò laus vnius ſcriptoris Scholaſtici noſtræ ætatis. Quid enim amplius: imò quid ſimile de vllo Eccleſiæ Doctore quantūuis præcellenti dici potuit? O tempora nunquā ſatis admiranda quæ eam cenſuram lucem permittunt aſpicere, quæ vniuerſos Theologos circumforaneos, miſeros amatores ſuarum nugarum, nebulones & ardeliones non veretur appellare, qui non indiès ſuſpiciunt & extollūt opera illius noui ſcriptoris, in quibus multorū ſentētiæ fortè veræ impugnātur, aliæ fortaſſis falſæ laboriosè defendūtur. Theologis enim qui cenſura tam furioſa compelluntur ad lectionē ſuorum magiſtrorū deſerendam, vt operibus illius moderni laudādis & admirandis indiès vacent, adhuc minimè conſtat quid granorum tanta tritura Scholaſticæ diſſertationis ipſe extulerit quid ventilarit: cum propemodū omnia, aut certè pleraq; ipſius ab alijs viris doctis, etiam ſuæ nationis, imo & ſuæ Scholæ paſſim impugnentur. Et tamen qui eum laudibus indiès non affecerint & in admiratione non habuerint rigidæ illi cenſuræ erunt obnoxij:*

itaq;

itaq; ſi laudatorem & paucos alios eius ſtomachi dempſeris, reliqui omnes Theologi erũt circumforanei, nebulones, & ardeliones, qui ſe de ſuis nugis miſerè amant, cùm nulli eorum illius noui Scriptoris (vti vult illa cenſura) ingenium & res quaſi humano faſtigio celſiores indiès prædicẽt aut demirẽtur. Crediderim ſanè hãc cenſurã vel veriùs fortè conuicium plurimos offenſurum. Arbitror tamen eum, qui ſemel dulcedinẽ operum D. Auguſtini deguſtauerit, ſubiturum potiùs fornacem linguæ huius cenſoris quàm Auguſtinum deſerat, vt encomijs & admiratione operum cuiuſcumq; noui Scriptoris occupetur, ẽtſi clãgore tubarum atq; tympanorum, ea in publicũ prodijſſent, eorumq́; fama non ſolùm Gymnaſia Theologiæ oppleſſet, ſed & in ipſos orbis axes & cæli ſinus incurrens ingenti quadam Echo longè crebreſcente vbiq; reſonuiſſet. Sed de hoc ſatis. Si quid in hoc opuſculo diſplicuerit, inſcitiæ meæ erit aſſcribendum, qui congruo ordine ab illo admirabili magiſtro ſapienter dicta collocare neſciui. Si quid autem arriſerit illi acceptũ referri debet à quo tanquam in vtroq; genere ditiſſimo nõ ſolùm res, ſed etiam verba quãtùm licuit emendicaui, ſequutus aliqua ratione in ſtudio & lectione mei ſancti Magiſtri ſimilem regulam illi, quam ipſe tradit Lectori ſacræ Scripturæ, qui proprijs indigus verbis aliena ſæpè mutuetur oportet. Quantò enim *(inquit)* ſe pauperiorem cernit in ſuis, tantò eum oportet in iſtis eſſe ditiorem, vt quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis, & qui propriis verbis minor erat, magnorum teſtimonio quodammodo creſcat. *Vale.*

Lib. 4. de doctrina Chriſtiana c. 5.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

Legi Tractatum à Reuerend^mo^. & Illmo D. Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi de pœnis paruulorum ſine baptiſmo decedẽtium elaboratum, in quo nihil reperi quod ſanæ doctrinæ aduerſetur; quin potiùs eruditè, & operosè iuxta ſententiam D. Auguſtini probari prædictos paruulos, non tantùm excluſionem à regno cœlorum, ſed etiam pœnas ſenſibiles paſſuros, locaque Scripturæ idem ſuadentia doctè expendi.

EVG. MATHEVS *Archiepiſ. Dublinenſis. ac Ibernie Primas.*

Approbatio Theologorum Vniuerſitatis LOVANIENSIS.

Tractatus iſte de pœnis paruulorum ſine baptiſmo decedẽtium, eruditus eſt nihil continẽs quod ſacris Literis, vel S. Eccleſiæ repugnet Decretis; imo tertium illum æternæ ac beatæ cuiuſdam vitæ, extra regnum cœlorum, locum, primum à Pelagianis fabricatum, ſolidis ſacrarum Scripturarũ ac Patrũ teſtimoniis ſubruit, penituſq; ſubuertit, de quo loco ſic D. Aug. Ergóne, inquit, eſt æterna vita extra regnum cœlorum? Primus hic error auerſandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc nouum in Eccleſia, priùs inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter regnum cœlorũ, eſſe ſalutem æternam præter regnum Dei. Hæc contra Pelagianos D. Aug. ſer. 14. de verbis Apoſt. Et lib. de hæreſ c. 88. Nam etiamſi non baptizẽtur (paruuli) promittunt (Pelagiani) eis extra regnum quidẽ Dei, ſed tamen æternã & beatam quandam vitã ſuã.

GVIL. FABRICIVS *S. Theol. Doct. ac Profeſſ. & Apoſtol. ac Regius per Belgium librorum Cenſor.*

Arâ ſtili maieſtate & denſâ ſententiarũ grauitate ita ingenij vires in hoc opere intendit Author, vt mentem D. Auguſt. fœliciter aſſecutus nõ tàm ſuo quàm Sanctiſſimi illius Eccleſiæ Doctoris ore locutus videatur, quòcirca vt publicæ detur vtilitati digniſſimum cenſeo 20. Iunij. 1623.

IOAN. PALVDANVS *S. Th. Doct & SS. Litt. Louanij Prof. ac D. Petri Plebanus.*

Reuerendiſſimi & Ill^mi^. D. Fl. Conrij Archiep. Tuamenſis Tractatum de pœnis paruulorum ſine baptiſmo decedentium in futuro ſæculo, luculenter & ſolidè B. Auguſt. ſententiam proponere & defendere arbitror, vt digniſſimus ſit quem omnes veritatis amatores perlegant & ſequantur.

GVIL. MERCERVS *S. Th. Doct. & Prof. Regius Louanij. 6. Iulij. 1623.*

Reuerendiſſimus ac Ill^mus^. Dominus D. Pater Florent. Conrius Archiep. Tuamenſis, tractatu hoc ſuo, D. Auguſt. Eccleſiæ Catholicæ columinis mentem de pœnis paruulorum ſine Chriſti baptiſmo morientium, accuratâ diſquiſitione eruit, & neruoſé deducit.

ÆGID. BAYVS *S. Theol. Doct. & in Acad. Louan. Profeſſ. Ordin.*

Genui-

Digitized by Google

GEnuinam D. Augustini, Eccleſiæ Doctoris Maximi ſententiam de paruulorum abſq; baptiſmo decedentium pœnis, ab eodē ex Scriptura ſancta iam olim clarè deductam & ſolidè probatā, hoc doctiſſimo Tractatu ab Illmo. P. ac Dño D. Florentio Archiep. Tuamenſi compoſito ac elaborato contineri ac dilucidè explicari ſentio.

IOAN. VVIGGERS *S.T. Doct. ac Profeſſ. Reg. in Vniuerſitate Louanienſi.*

TRactatū ſecundùm ſenſum B. Auguſtini de ſtatu Paruuorum ex hâc vitâ ſine Baptiſmo decedentium, compoſitum à Fratre Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi, perlegi diligenter. In quo, quantùm equidem arbitror, ſententia S. Auguſtini, magnâ perſpicuitate verborum, ſolidâ firmitate rationum veriſſimè declaratur & defenditur: vt in materiâ de Pœnis Paruulorum ſine Baptiſmo decedentium, ſubeundis poſt hanc vitam, velut quidam Proſper Auguſtino ſurrexiſſe videatur. Quam S. Auguſtini ſententiam veriſſimam ſemper iudicaui, defendi, & docui, tanquam Antiquioribus Eccleſiæ Doctoribus conformem, & ſemper huc vſque ab Excellentiſſimis quibuſdam edoctam, vtpotè Scripturis Sanctis magis innixam, & Concilijs, ſeruientem etiam prouidæ ſollicitudini Parentum, & ſaluti Paruulorum. Quod atteſtor Louanij hâc die 20. Iulij, anni milleſimi ſexcenteſimi vegeſimi tertij.

HENRICVS RAMPEN *S. Theol. Doctor & Profeſſor.*

ILluſtriſſime Domine: Poſt myſterium Sacroſanctæ Trinitatis, Dominicæque Incarnationis abditiſſimum Sacramentū, ſemper mihi viſa eſt fides originalis peccati, tùm humanæ rationis captum longiſſimè excedere, tùm Dei majeſtatem ſupremumque in homines dominium vſque ad extremum humani ingenij ſtuporem efficaciſſimè teſtari. Sed quia humana ratio nimia ſuæ libertatis æſtimatrix, non ſatis eam in hoc myſterio apprehendit, innatuſque homini philantiæ affectus pœnam omnem & contumeliam ſtudioſiſſimè à ſe propulſare ſolet, difficulter admodùm huic fidei ſubiugari ſe patiuntur. Itaque vel in eius exterminium conſpirant, quod olim in Pelagianis execrata eſt Eccleſia, vel eam ad ſummas anguſtias redigunt arctiſſimeque circumſcribunt. Id quod mihi videtur Theologis illis accidiſſe qui culpam & pœnam originalis peccati adeò accidunt, vt illam quidem infra minima venialis actualis peccati reatum ſupprimant; hanc vero tùm æternitate mutilent quatenus negant eam per ſe cadere ſub originalis peccati demeritum, ſolùmq; per accidens illius pœnam æternùm duraturam cenſent, perindè ac venialis peccati pœna ob concurſum mortalis peccati æternùm durabit, dùm à dæmonis ſeruitute exiſtimant, tùm ab omni pœna ſenſus adeò remotam æſtiment, vt pro ea naturalem inſuper fælicitatem, Paruulis ſine Baptiſmo defunctis reponant. Contra hos omnes, Diui Auguſtini ſententiam ſolidè ac neruoſè vindicaſti: quem vt olim Deus contra Pelagianos ſuſcitauit Catholicæ fidei defenſorem: ita te illius

Sanctiſſi-

Digitized by Google

Sanctiſſimi Epiſcopi ac celeberrimi Doctoris quà dignitate, quà ſpiritu, quà doctrina hæredem nobis iſto ſæculo dediſſe videtur, qui ſuppreſſo naturalis rationis murmure, illiuſque cæco ductu repudiato, plenè eam ſub manu diuinæ fidei humiliares. Quod ſi fortaſſis alicui hæc controuerſia, non tàm vtilis, quàm curioſa aut etiam contentioſa videbitur; ego certè tùm diuini honoris, tùm noſtræ ſalutis plurimum intereſſe arbitror, ne adeo ſeueræ ipſius Dei contra originale peccatum minæ, & adeò triſte totius humani generis ſupplicium quaſi de Tyrannide ſuſpecta fiant, tanta originalis culpæ & pœnæ extenuatione, ne vulnere diminuto medici beneficium ſimul minuatur, ne dum non ſatis omnes beneficij in nos collati partes agnoſcimus, medici manum gratiamque mediatoris à nobis alienemus; ſicut ergo ob has rationes tanto olim ſtudio contra Pelagianos pro originali peccato decertauit Eccleſia, ita & hunc modernum tuum laborem Illuſtriſſime Domine in elucidanda Diui Auguſtini ſententia, pro honore diuinæ iuſtitiæ Deo gratiſſimum, pro gratia illius concilianda nobis vtiliſſimum iudico, Deumque rogo ne occultum hoc naturalis rationis humanique affectus germen inſtinctu Serpentis, qui primam creatoris gratiam ex hominis animo profligauit ad truncandam redemptoris gratiam adoleſcere ſinat. Louanij 19. Iulij, Anno 1623.

IOANNES SCHINCKELIVS *S. Theol. Doctor & Profeſſor Ordinarius.*

OPuſculum hoc de Pœna Paruulorum poſt hanc vitam à Reu^mo^. atq; Illuſt^mo^. D. Florentio Archiep. Tuamenſi compoſitum veritatis amatoribus meritò acceptum eſſe debet, eò quod veram antiquamque D. Auguſtini ſententiam à diſcipulis eius S. Fulgentio & aliis iam olim conſtanter doctam, atq; etiamnum ab eius ſectatoribus agnitam & crebro traditam eruditè confirmet, multaſque recentiorum coniecturas conuellat. Actum Louanij poſtridie Calendas Nouemb. Anno 1623.

CORNELIVS IANSSENIVS *S. Theol. Doctor & in Vniuerſit. Louanienſi Profeſſor Ordinarius.*

ILLuſtriſſime Domine, Periucundum mihi fuit legere Tractatum veſtrum de Pœna Paruulorum ſine baptiſmo decedentium, in quo acerrimum ſententiæ D.P. Auguſtini Iuſtriſſima Paternitas veſtra agit vindicem & defenſorem. Spirat hic veſter labor, vti profundam in Scholaſticis difficultatibus eruditionem, ita aſſiduam in D. Auguſtino peruoluendo diligentiam. Conſtat enim hic Tractatus tam continuis è D. Auguſtino citationibus, tanto ordine è diuerſis ipſius operibus, inter ſe connexis, vt D. Auguſtinum vbiq; loquentem, ſuæq; ſententiæ partes agentem audire videar. Quàm maximè

maximè exopto vt citiſſimè opus hoc lucem videat. Spero fore, vt multos ab inueterata opinione, ad ſententiam quam communis Eccleſiæ Magiſter nobis tradidit, abducat.

Louanij in Conuentu D. Auguſtini
31. Auguſti Anno 1623.

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ ſeruus in Chriſto,

F. MICHAEL PALVDANVS
in Vniuerſitate Louanienſi S. Theologiæ
Doctor & Profeſſor.

Approbatio Theologorum Vniuerſitatis DVACENSIS.

HVnc Tractatum ab Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Tuamenſi, Reuerendiſſimo P. Flor. Conrio compoſitum, de ſtatu Paruulorum ſine Baptiſmo decedentium; iuxta Beati Auguſtini, Scripturæ ſacræ preſſè inhærentis, ſenſum, accuratè concinnatum: diligenter perlectum, digniſſimum editione cenſuimus. Duaci, die decima octaua, Auguſti ,1623.

BARTHOLOMÆVS PETRVS *Lintrinſis S. Th. Doctor & in Vniuerſitate Duacenſi Profeſſor Regius & Ordinarius.*

TRactatus ſecundùm ſenſum B. Auguſtini, de ſtatu Paruulorum ex hac vita ſine Baptiſmo decedentium ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi compoſitus, & diſtinctus per viginti ſex capita, diligenter & iucundè à nobis perlectus, ipſiſſimam B. Auguſtini ſententiam de tota ipſa materia, clarè & ad oculum videtur demonſtrare, remotâ omni caligine quam variæ commentationes quorundam Scholaſticorum, veridicæ doctrinæ obduxerant. Quarè digniſſimus eſt qui lucem videat, cum tantam lucem attulerit quæſtioni alioquin inter Theologos obſcuriſſimæ. Duaci die ſexta Septembris 1623.

IACOBVS POLLET *S. Theol Doctor & in Vniuerſitate Duacenſi Regius Ordinariusque Profeſſor.*

*** Iſtum

Digitized by Google

ISTum ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi Tractatum ex Beati Auguſtini mente verbiſq; non minus induſtriè quàm operosè concinnatum, de Pœnis Paruulorum ſine Baptiſmo ex hac vita decedentium libenter legi, lectumque prælo dignum cenſui; tùm quòd nihil fidei boniſve moribus aduerſum contineat; tùm quod Auguſtini ſententiam (quæ eadem eſt & Scholæ noſtræ Theologicæ communis) ſolidè confirmet.

Duaci, die vndecima Septembris
Anno 1623.

FRANCISCVS SYLVIVS *S. Theologiæ Doctor, eiuſdemque Regius ac Ordinarius Profeſſor in Vniuerſitate Duacenſi.*

HIc liber, cui titulus: Tractatus ſecundùm ſenſum beati Auguſtini de Statu Paruulorum ex hac vita ſine baptiſmo decedentium, compoſitus à F. Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi, quem totum perlegi, eruditè & neruosè probat quod intendit, & multa alia continet quæ prælo ſunt digniſſima.

Actum Duaci Calendis
Semptembris 1623.

GEORGIVS COLVENERIVS
S. Theologiæ Doctor, & Regius Ordinariuſque Profeſſor, Librorum in Academia Duacena Cenſor, Collegiatæ S. Petri Præpoſitus & Canonicus, & dictæ Academiæ Cancellarius.

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER AC DOMINE:

Porrectus mihi fuit legendus, Tractatus Veſter de Statu & Supplicio Paruulorum cum Originali peccato decedentium, die ſecunda menſis huius, quem diligenter & periucundè perlectum, reddidi die ſeptima eiuſdem, cum prima die dicti menſis in Diſputatione de Peccato Originali, cui præſederam, eadem ſententia Diui Auguſtini totis viribus propugnata fuiſſet. Per triginta annos verſor in noſtris Scholis Theologicis, partim Diſcipulus, partim Magiſter, in quibus nunquam audiui aliam ſententiam teneri à Magiſtris Scholæ quàm Diui Auguſtini. Eſſe autem ſententiam Diui Auguſtini dictos Paruulos præter excluſionem Regni Cœlorum pati etiam ſupplicium ignis æterni, non puto magis poſſe dubitari quàm Beatum

Digitized by Google

Beatum Auguſtinum vixiſſe in terris,nunc autem regnare in cœlis. Si non obſtet pudor retractandi quæ in contrarium à quibuſdam dicta & ſcripta ſunt, in hac materia, ſpero eos facile mutaturos ſententiam, ſi hunc Tractatum legere,& lectum relegere non dedignentur. Vidi quæſtionem iſtam apud quoſdam in vtramque partem diſputatam, ſed omnium argumentorum ſolutionem reperire non potui. Hic Tractatus inſtar omnium mihi erit, nec puto alium à quoquam requirendum aut componendum, ita ſuis numeris, Deo laus, perfectus eſt, cui proinde Approbationem, meâ manu ſcriptam lubens volenſque ſubieci. Tantùm roganda eſt ILLVSTRISSIMA DOMINATIO VESTRA, vt eum quàmprimum fieri poterit per otium, prœlo committat, nec tanto bono Eccleſiam Dei & Scholas Theologicas diutiùs carere permittat. Sed & alterum ab ILLVSTRISSIMA REVERENTIA ET PATERNITATE VESTRA petendum duxi, ignoſcat quæſo quòd tàm fidenter loquar, vt ſeriò dignetur cogitare de evulgandis alijs Tractatibus, quos intelligimus eſſe prœlo paratos, Maxime DE GRATIA DEI EFFICACI, ex quibus confutetur gratia illa quam quidam ſufficientem vocant, prout ab efficaci diſtinguitur, quæ certè, nec Sancti Auguſtini eſt ſententia, nec Sancti Thomæ ſicut, nec tertia illa ſcientia quam vocant mediam ſiue conditionatam. Sunt enim iſti Tractatus ſic inter ſe connexi, vt difficile ſit alterum ſine altero intelligere aut defendere, cum iiſdem principijs innitantur, & vnum habeant Diuum Auguſtinum vel Patronum, vel Hoſtem acerrimum, cui tamen D. Auguſtino in materia De Gratia Dei, vt ſæpe dixi, magis credendum, quàm reliquis Eccleſiæ Doctoribus, de illa materia obiter & curſim tractantibus: Vnde Eccleſia in eum fere vnicum oculos ſuos defixit in determinationibus ſuis De Gratia Dei contra Pelagianos, vt ex varijs Concilijs & Pontificibus benè probat hic Tractatus. Noſtrum erit Deum Opt. Max. rogare inſtanter, vt ILLVSTRISSIMAM DOMINATIONEM VESTRAM ſtrenuè pro ſua Eccleſia laborantem, ſoſpitem ſeruet, noſque Veſtris laboribus diutiùs frui donet. DVACI, die 11. Septembris 1623.

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Dominationis Veſtræ Seruus,

IACOBVS POLLET.

Summa

Summa Priuilegij.

IVxta tenorem Priuilegij à ſua Catholica Majeſtate PHILIPPO IV. 2. Septembr. Anno 1622. in Concilio Priuato Brabantię ſub ſignatura GOTTIGNIES, mihi gratioſè indulti, Tractatum meum *De pœnis parvulorum decedentium ſine Baptiſmo, ſecundum mentem Diui Auguſtini*, imprimendum commiſi HENRICO HASTENIO, Academiæ & Vrbis LOVANIENSIS Typographo iurato, 14. Junij, Anno 1624.

FR. FLORENTIVS CONRIVS,
Archiepiſcopus Tuamenſis.

Digitized by Google

TRACTATVS DE STATV PARVVLORVM SINE BAPTISMO DECEDENTIVM EX HAC VITA:

Secundum Senſum

B. AVGVSTINI.

Compoſitus à F. FLORENTIO CONRIO, Hiberno, ad Archiepiſcopatum Thuamenſem ex Ordine Fr. Minorum Regular. Obſeru. aſſumpto.

Refertur quid Pelagiani ſenſerint de iiſdem parvulis; proponiturque quorumdam Theologorum de eis Sententia, cum ſuis fundamentis.

CAPVT PRIMVM.

1 EX occaſione cuiuſdam difficultatis, quam nobis oppoſuimus in tractatu de flagellis iuſtorum, quem ſecundum mentem B. Augustini elaborauimus, coacti ſumus inueſtigare, quid idem Magiſter ſentiret de ſtatū paruu- *Huiuſce tractatus & inſtituti ratio redditur.*

Digitized by Google

paruulorum ſine Baptiſmo ex hac vita emigrantium; quod ſtilo alligare, & ſeorſim edere placuit; maximè ad nonnullos Philoſophicis opinionibus parùm vel nihil præoccupatos, qui iſta legent, quique nobis ingenio multum præualent, in lectionẽ operum B. Auguſtini incitandos; quæ ſane theſauros ſapientiæ continent, proh dolor! non nihil abſcõditos; quia à nonnullis denſiſsimæ eis tenebræ quotidie offunduntur; vt ex iſto de paruulis tractatulo coniectare vtcumq; licebit, in quo tam manifeſte forte ſoliditas ſententię Auguſtini de ſtatu paruulorum oſtenditur; quæ tamen Sententia quàm plurimis hactenus diſplicuit, quibus non vacabat, nec libebat ob alia ſtudia (quibus multum delectantur) inconcuſſa Auguſtini principia diligenter indagare, ac inueſtigare. Vt igitur illis B. Auguſtini doctrinæ (præcipue de gratia & libero arbitrio & de peccato originali) tanto forte capacioribus, quanto cuiuſdam doctrinæ Philoſophicæ de vitio & virtute, quam infra adducemus, inanioribus, verus & non

non confictus iſtorum paruulorum poſt iudicium ſtatus innoteſcat: attendant ad ea quæ ſequuntur, aſſenſum contra Auguſtini ſententiam non præcipitando; ſed ſaltem ſuſpendendo, quouſque omnibus vtrimque collatis ad finem perueniatur, tunc electuri quæ ſolidiora ac Scripturis & Concilijs magis conformia videbuntur: Hac enim cauta cunctatione duo vitia, Domino eos defendente, euitabunt, nimis inimica inuentioni veritatis, & tractationi Diuinorum eloquiorum; quæ ſunt (teſte B. Auguſtino lib. 2. de Trinit. in procemio) *præſumptio, priuſquam veritas pateat, & cum iam patuerit, præſumpta defenſio falſitatis.*

Duo ſunt quæ inueniendæ veritati præcipuè obſtant.

2 Ergo vt ab ipſa cõtrouerſia incipiamus, aduertere oportet Pelagianos qui peccatum originale euacuabant, quamuis admitterent baptiſma omnibus eſſe neceſſarium, ad ingreſſum Regni Cælorum, ne Dominicæ ſententiæ aperte repugnare conuincerentur; *Niſi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; affirmaſſe paruulos ſine Baptiſmo hinc

Infantibus ſine baptiſmo morientibus, vitã æternam extra cælorum regnũ, promittebant Pelagiani.

Ioan. 3.

decedentes, non ſolùm nullum dolorem in anima, aut corpore poſt hanc vitam paſſuros, ſed & vitam æternam extra Regnum Cælorum habituros: vt refert B. Auguſtinus in libr. de Hæreſib. ad Quoduultdeum Hæreſi 88. epiſt. 106. ſerm. 14. de verb. Apoſtoli; de geſtis Pelagij cap. 33. lib. 3. contra Iulianum cap. 12. lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 8. libro primo de peccat. merit. cap. 12. 20. & 28. tract. 37. in Ioan. lib. de prædeſt. Sanct. cap. 13. libro primo operis imperfecti contra Iulianum, num. 128. & lib. 2. num. 113. & libro primo de origine Animæ cap. 9. & lib. 2. cap. 12. In quibus locis, & in alijs multis, omnium mortalium ſapientiſſimus, ac profundiſſimus diuinæ paginę interpres, quinque Pelagianorum dogmata de Infantibus, ex Scripturis Sanctis, & ex rationibus inconcuſſis, validiſsime conuincit. Primo, oſtendendo omnes paruulos contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Secundo, eos hic miſerijs ſenſibilibus, quas patiuntur, affligi in pænam prædicti peccati, non ex neceſſitate, aut conditione

naturæ.

Digitized by Google

naturæ. Tertio, eos, qui ex eis ſine Baptiſmo decedunt, recepturos in fine, ſuæ damnationis ſententiam, ac conſequenter, cum Diabolo, vbi certiſſimè triſtabuntur, ituros in ignem æternum: ac proinde, quarto, non habituros vitam æternam extra Regnum Cælorum; & quinto, nec locum aliquem medium fælicitatis naturalis inter vitam æternam Regni Cælorum & pænam æternam ſeu gehennæ damnationem. De primo & quarto non eſt quod hic laboremus; quia in eis catholici diſcordare non poſſunt: ſecundum, latè alibi tractauimus; tertium, & quintum, inferius iuxta principia B. Auguſtini diſcutiemus.

Quid cenſeant quidam Theologi de pena paruulorum abſq; baptiſmo decedentiũ.

3 Quidam Theologi affirmant prædictos paruulos nullam moleſtiam, ſiue dolorem aut in anima ante corporum reſurrectionem, aut in Anima aut corpore poſt paſſuros, ſed ſolum eis pænam eſſe, quod in æternum excludantur à clara Dei viſione, ad quod nulla in illis ſequetur (inquiunt) interna triſtitia aut dolor. Quod ſi ab eis cauſam tàm admirabilis pacis animi & corpo-

ris in paruulis damnatis requiras; varie reſpondent, vt ferè quot capita, tot ſenſus reperiantur. Aliqua eorum motiua ſubijciã, non omnia, ſed tantum præcipua, ne ad diſſerendi finem non cito perueniamus. Moleſtiam ſiue dolorẽ ab externo agente v.g. igne prouenientem ideò ab eis tollunt, quia (inquiunt) peccatum originis in homine non tollit ordinem naturalem ſed ſupernaturalem, conuerſionem videlicet ad Deum per donum gratiæ ſupernaturale; cuius priuatio eſt peccatũ originis; vnde æquum eſt, vt pæna peccati originalis ſit tantum priuatio alterius boni ſupernaturalis, qualis eſt carentia viſionis Dei; non autem inflictio pænæ ſenſibilis, quæ naturam ipſam lædat. Alij addunt eum qui ſecundum nullum ſenſum peccauit, à iuſto Iudice non puniri ſecundum vllum ſenſum. Hanc partem confirmant authoritate Sancti Ambroſij ſuper epiſtolam ad Romanos in expoſitione illorum verborum, *Et per peccatum mors. Mors autem diſſolutio corporis eſt, cum anima à corpore ſeparatur. Eſt*

Horum præcipua fundamẽta proponuntur.

Ambroſ.

&

& alia mors quæ ſecunda dicitur, in gehennâ; quam non peccato Adæ patimur, ſed eius occaſione proprijs peccatis acquiritur. En vbi Ambroſius (inquiunt) affirmat hominem ex peccato Adæ non pati gehennam. Citant etiam Gregorium Nazianzenum, qui Oratione in S. Lauacrum ante mediũ, tria genera hominum ſine Baptiſmo decedentium eſſe dicit; quorũ alij Baptiſmum contempſerint, alij ex negligentia propria omiſerint; alij, hoc eſt infantes, aliorum negligẽtiâ illo caruerint. De horum omniũ pæna poſt hanc vitam ita pronunciat. *Exiſtimo* (inquit) *futurum vt primi quidem, cum aliorum ſcelerum, tum etiam Baptiſmi contempti pænas luant: alij autem pænas quidem ſed leuiores pendant, vt qui non tam animi prauitate, quàm ſtultitiâ à Baptiſmo aberrarint: poſtremi denique nec cæleſti gloria, nec ſupplicijs à iuſto Iudice afficiantur, vtpote qui licet baptiſmo conſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc iacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint.* Non negat (inquiunt) hîc Sanctus Doctor paruulos plecti Gregor. Nazian.

pæna

pæna damni, ſed ſenſus, quoniam ea propriè improbitati debetur, qua illi carent. Adducunt etiam pro ſe Pontificē Innocentium in cap. *Maiores*, vbi ſe magnum aliquid inueniſſe putant, vnde B. Auguſtini ſententiā euacuare conantur: ibi enim inquiunt, ille pontifex definit pænam peccati originalis eſſe carentiam diuinæ viſionis, pænam autem actualis, eſſe cruciatum gehennæ.

4 In auxilium etiam ſuum aliqui iſtorum Modernorum B. Auguſtinum conuocant, qui (inquiunt) lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23. ſcribit, *Non eſſe metuendum ne vita eſſe potuerit media quadam inter recte factum, atque peccatum, & ſententia Iudicis media eſſe non poſsit, inter præmium atque ſupplicium.* In quibus verbis (inquiunt) Sanctus Auguſtinus non tribuit paruulis medium locum inter Cælum & Infernum; ſed mediam ſententiam inter præmium, quod debetur ijs, qui propria voluntate boni aliquid meruerint, & ſupplicium, quod ijs debetur, qui propriâ voluntate pænam ſibi ipſi pepererunt. Quare (inquiunt) paruuli

ſine

Digitized by Google

ne Baptiſmo decedentes non carebunt pæna communi orignali & actuali, quæ eſt carentia viſionis Diuinæ: ſed liberi erunt ab ea pæna quæ propriè eſt peccati actualis, quæ pæna ignis ſiue ſenſus appellatur. Adduntq; S. Auguſtinum nuſquam retractaſſe hanc ſententiam, quamuis magnam habuerit occaſionem eam retractandi, ſi hoc faciendum cenſuiſſet; tum in primo libro retract. cap. 9. vbi diligenter examinat hos libros, tum in Epiſtola 28. vbi diſputat de parte quadam prædicti capitis 23. in quo habentur ſuprà dicta verba. Prætermitto Scripturas quas adducere ſolent, quæ nihil pro eorum cauſa vrgent.

De interna triſtitia aut dolore quidam ex ſapientioribus reſpondent infantes illos ideò non triſtari, quòd probè intellecturi ſint nullam ſe proportionem ad beatitudinem vnquam habuiſſe; cùm nec habuerint gratiã, nec vſum liberi arbitrij. Non enim triſtantur qui recto iudicio vtuntur ſi eo bono careant ad quod nulla ratione inueniuntur idonei. Alij affirmant ideò non tri-

Digitized by Google

ſtari quòd non cognoſcent ſe eſſe ordinatos ad beatitudinem ſupernaturalem, & in pænam peccati priuari ea notitia; quia neque viribus naturæ id poſſunt cognoſcere, nec ſupernaturaliter eſt eis reuelatum. Alij ad particularem Dei prouidentiam recurrunt, aſſerentes eâ fieri, quamuis paruuli cognoſcent ſe à beatitudine excidiſſe, vt non triſtentur; quia (inquiunt) Deus ab eorum animis triſtitiam remouebit. Alij fatentur nullam rationem efficacem pro ea re adduci poſſe; ſufficere tamen authoritatem prædictorum Theologorum, qui id vnanimiter ſentiunt, à quorum omnium authoritate (inquiunt) ſine temeritate recedere non licet.

6 Totam hanc doctrinā de exemptione puerorum ſine baptiſmo decedentium ab omni pæna ſenſibili tam ignis quam etiam internæ triſtitiæ, quidam recentiores certiſſimam ſibi eſſe affirmant ex Ariſtotele; quia pænæ ſenſibiles (inquiunt) habent vim cuiuſdam increpationis, veluti flagella, quibus malefactores affliguntur. Quis

autem

Digitized by Google

tem dicat puerum, etiam à Deo, dignè
gris verberari propter peccatum, quod
culpa parentum contraxit? qui autem
tali peccato reprehendi nequit, nec pro-
er illud flagellis verberari; multo minus
ſtitia, aut igne, aut alio tormento digne
rqueri poteſt: pæna enim tormentorũ,
ionem habet quodammodo vituperij,
exprobrationis cuiuſdam; hac verò nul-
dignus eſt, niſi propter illa quæ in ſua
it poteſtate; teſte Ariſtotele 3. Ethicor.
p. 5.

7 Nonnulli iſtorum Theologorum in
edictos paruulos, cæteris beneuolentio-
, ita ſuam ad eos beneuolentiam exten-
nt, vt aſſerere non dubitent eos futuros
ſt iudicium beatos naturali beatitudine,
n in locis aliquibus ſubterraneis, ſed in
odam veluti paradiſo terreſtri perpetuò,
liciterque victuros, plenos ſapientia &
rtutibus, ſua ſorte optimè contentos;
eum toto corde diligentes, & laudantes;
ngelorum denique conſortio & reuela-
onibus ſæpè fruentes. Adduntque alij eos

non fore poſt illud iudicium ſub diaboli poteſtate, melioremque in naturalibus vitam à vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducturos, quàm vllus vmquam mortalium duxerit.

Refellitur communis quadam Reſponſio iſtorum Theologorum.

CAPVT SECVNDVM.

1 QVOD ſi ab illis Theologis qui à paruulis remouent omnem pænam ſenſibilem quæratur, quo modo auſi ſint Auguſtinum, cuius doctrina contra Pelagianos toties à Sede Apoſtolica approbata fuit, prorſus in hac quæſtione deſerere, eique apertè contradicere; reſpondent intrepidè, ſententiam Auguſtini eſſe duram valdè, ac rigidam, ipſumq; in vnum extremum declinaſſe, fugiendo alterum Pelagianorum, vt ab eis longiſſimè recederet. Quod commune eſt (inquiunt) Sanctis contra hæreticos diſputantibus: adduntque ſe eiuſdem Sedis authoritate inniti,

quæ

quæ (inquiunt) definiuit pœnam peccati originalis eſſe carentiam Diuinæ viſionis; pœnam actualis, cruciatum gehennæ.

2 Sed, vt admonere obiter non omittamus, incomparabiliter duriorem ac rigidiorem eſſe ſententiam, quæ affirmat Deum poſſe ſine iniuſtitia, ſolo titulo Dominij abſoluti, omnes beatos, nullo excepto; aut ad æternas deijcere pœnas, aut redigere in nihilum (vt verbis eorumdem Theologorum vtamur) quàm ſententiam Auguſtini, ſecundum Euangelium affirmantis, filios iræ, qui futuri non ſunt in dextra, aut cum Chriſto, futuros in ſiniſtra; & conſequenter cum diabolo in ignem æternum (vbi non triſtari non poſſunt) ituros. Sed vt hoc (inquam) admonere non omittamus; mirari ſatis non poſſumus, quot & quam acuta ingenia ſibi hactenus hæc reſponſio ſubiugauit, quæ viro Theologo indigna, & Auguſtino ac alijs Sanctis iniurioſa fortè videtur; quæque ex doctrina eiuſdem Sanctiſſimi Magiſtri, alibi à nobis exploſa eſt, & quæ rurſum manifeſtè refelli poteſt. Quid eſt

Aſſerere Auguſtinũ aut SS. Patres, impugnando vnum errorem, declinaſſe in alium lõgè diſtantem clarè improbatur tanquàm eis iniurioſum, & falſum.

enim aliud dicere, Auguſtinum in alterum extremum, quod ab illis Theologis vt falſum deſeritur & impugnatur, declinaſſe, vt à Pelagianis longiſſimè recederet (quod aſſeritur mos Sanctorum contra hæreticos diſputantium) quàm fortè affirmare, Auguſtinum & alios Sauctos in ſuis diſputationibus mentiri fuiſſe ſolitos, vt hæreticos mendaces ad veritatem reuocarent? Quod ſi ita; an fortè hinc ſequetur Auguſtinum & alios Sanctos, ſuo facto ſæpiſsimè approbaſſe hæreſim Priſcillianiſtarum, dogmatizantium, cum eis qui nobis in ſocietate veritatis proximi non ſunt, loqui licere mendacium: vt colligitur ex eodem Auguſtino libro contra mendacium ad Conſent. cap. 2.

Priſcillianiſtarum error, mendacium ſcilicet aliquãdo eſſe licitum, latè impugnatur ex Auguſt. li. con. mendat ad Conſent. cap. 1.

3 Sed quantùm execrabatur Sanctiſsimus Magiſter illam Priſcillianiſtarum doctrinam, omnemque aliam ſimilem mendacio patrocinantem; quantùmque illa modernorum reſponſione offenderetur, facile intelligi poteſt ex eius verbis ibidem, capite primo. *Itaque omnibus quæ Leonas mihi Dei famulus abs te attulit, & mox vt ea ſumpſi,*

&

Digitized by Google

& poſtea cum hæc dictare iam vellem, euolutis, atque perlectis, & quanta potui conſideratione perpenſis; valdè ſum tuo delectatus eloquio, & Sanctarum memoria Scripturarum, ingenijque ſolertia, & dolore quo negligentes Catholicos mordes, & zelo quo aduerſus etiã latentes hæreticos frendes; ſed non mihi perſuadetur eos de latebris ſuis, noſtris eſſe mendacijs eruendos. Vt quid enim eos tanta cura veſtigare atque indagare conamur, niſi vt captos in apertumque perductos, aut eiam ipſos veritatem doceamus, aut certè veritate conuictos nocere alijs non ſinamus? Ad hoc ergo, vt eorum mendacium deleatur ſiue caueatur, Dei autem veritas augeatur. Quomodo igitur mendacio mendacia rectè potero perſequi? an & latrocinio latrocinia, & ſacrilegio ſacrilegia, & adulterio adulteria ſunt perſequenda? ſi autem veritas Dei in meo mendacio abundabit; numquid & nos dicturi ſumus, faciamus mala vt veniant bona? quod vides quemadmodum deteſtetur Apoſtolus. Quid eſt enim aliud, mentiamur vt hæreticos mendaces ad veritatem adducamus; niſi, facia-

Veritas mendacio non eſt confirmanda, nec mendacia mendacijs abolenda.

Rom. 3.

mus

mus mala vt veniant bona? an aliquando bonum eſt mendacium? vel aliquando mendacium non eſt malum? cur ergo ſcriptum eſt, Odiſti Domine, omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium? non enim aliquos excepit, aut indefinite dixit, Perdes loquentes mendacium; vt quoſdam non omnes intelligi ſineret: ſed vniuerſalem ſententiam protulit, dicens, Perdes omnes qui loquuntur mendaciū. An quia non dictum eſt, Perdes omnes qui loquuntur omne mendacium; vel, qui loquuntur quodcumque mendacium: ideo putandum eſt locū alicui relaxatum eſſe mendacio, vt ſit ſcilicet aliquod mendacium, quod qui loquuntur non eos Deus perdat; ſed eos omnes perdat qui loquuntur iniuſtum mendacium, non quodcumque mendacium; quia inuenitur & iuſtum, quod vtique laudis debet eſſe, non criminis?

Pſalm. 5. verſ. 7.

cap. 2. *Nonne cernis quantum adiuuet hæc diſputatio eos ipſos, quos pro magna venatione mendacijs noſtris capere molimur? Priſcillaniſtarū eſt enim (ſicut ipſe monſtraſti) iſta ſententia cui comprobandæ adhibent teſtimonia de Scripturis,*

Digitized by Google

pturis, exhortantes ſuos ad mentiendum, tamquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum: non dubitantes addere ipſum Dominum Chriſtum; nec ſe aliter arbitrantes, veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi veritatem dicant eſſe mendacem. Redarguenda ſunt iſta, non imitanda; nec in eo malo Priſcillianiſtarum debemus eſſe participes, in quo cæteris hæreticis conuincuntur eſſe peiores.

Ecce quam vehementer Beatus Auguſtinus deteſtatur id quod prædicti Theologi de eo affirmare videntur: quamq́ue manifeſtè fatetur & probat eum qui ſic cum hæreticis diſputando ageret, non ſolùm ſuo facto prædicare; *Faciamus mala vt veniant bona*; ſed & ſe participem oſtendere Priſcillianiſtarum. Quod vlteriùs confirmari poteſt ex doctrinà eiuſdem Magiſtri, ibidem, capite quarto & quinto. *Quia ſi mentiendum eſt vt ad Deum laudandum homines adducamus; procul dubio non ſolum ad laudandum, verùmetiam ad mentiendum, exemplo & vita noſtra homines inuitamus: quoniam quos* Auguſt. ibidem cap. 5.

D ad

ad Dei laudes per mendacia molimur adducere, vtique ſi adduxerimus, non ſolùm laudare diſcent, ſed etiam mentiri; & quod eſt miſerabilius, etiam ipſi iam quaſi noſtri effecti, quemadmodum nobis credant, reperire non poſſunt. Si enim ſuſpicentur, etiam ipſa Catholica dogmata nos mendaciter loqui, vt neſcio quid aliud occultemus, quod verum putamus, certè talia ſuſpicanti dicturus es, Hoc tunc ideò feci, vt caperem te. Sed quid reſpondebis dicenti, vnde igitur ſcio vtrum etiam id nunc facias, ne capiaris à me? an verò cuiquam perſuaderi poteſt, hominem non mentiri, ne capiatur; qui mentitur vt capiat? Videſne quo tendat hoc malum, vt ſcilicet non ſolum nos illis, ipſique nobis; ſed omnis frater omni fratri non immeritò videatur eſſe ſuſpectus? atque ita, dum per mendacium tenditur, vt doceatur fides; id agi potiùs vt nulli habenda ſit fides? cap. 5.
Quid igitur clarius ex Beatiſſimo Magiſtro adduci poſſet ad improbandam prædictam reſponſionem?

5 Accedit ad hæc, Beati Auguſtini humilitatem in ſuis libris retractandis à tota antiqui-

tiquitate hactenus tàm celebratam, magis fictam quàm ſynceram cenſeri debere; ſi omiſſa retractatione exceſſuū, in quos in ſuis diſputationibus ad hæreticos (vt aſſeritur) capiendos & conuincendos, ſciens & volens incidit, tam ſolicitus erat de minimis quibuſque retractandis, quale verbi gratiâ, eſt illud, quod ſolum ex libris 6. contra Iulianum retractat, ſe videlicet poſuiſſe nomen certum hominis, cum eius nomen eſſet incertum; qui coniugi ſuæ ne deformes pareret, proponere in concubitu, formoſam ſolebat picturam. O quàm ridicula erratorum emendatio, ſi hæc & ſimilia Beatiſſimus Magiſter, æſtuante cura, retractat; & illa, in doctrina falſa) ex quibus eſt ſecundùm prædictos authores eius dogma de illis paruulis) retractare prudens omittit! Quis illud de ipſo ſuſpicaretur, niſi qui ipſum voluiſſe ſuam imperitiam alijs occultare arbitraretur? Sed abſit ab ardentiſſima eius charitate, qua omnes ad veritatem trahere cupiebat, tanta peruerſitas. *Nimis enim peruersè,* (ipſomet teſte Epiſtola ſecunda) *ſeipſum*

amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat.

Alia euaſio precluditur. 6 Dicetur fortè Auguſtinum, alioſque Sanctos contra hæreticos diſputantes, vt ab eis longè recederent, ſolitos fuiſſe incidere in illa extrema, non ſcienter, ſed ignoranter; vndè illa abſurda quæ contra doctrinam Priſcillianiſtarum inferuntur, minimè ſequuntur: quia nemo rectè dicere poteſt Sanctos datâ operâ ſolitos fuiſſe excedere vt hæreticos caperent; ne doctrinam illam Priſcillianiſtarum Sanctos confirmare & approbare ſua praxi, dicere conuincatur.

7 O vocem non ſolum miræ animoſitatis plenam, ſed iniuriæ in Auguſtinum eiuſque Sanctos Commagiſtros, & in ipſam Sedem Apoſtolicam, fortè pleniſſimam! Si enim Auguſtinus & alij Sancti contra hæreticos diſputãtes in illa extrema declinare etiam incautè ſolebant: Quæro quod dogma fidei ex eorum libris (qui ferè omnes contra hæreticos conſcripti ſunt, quique multa abſurda & exceſſus continere, dici poſſunt) confirmare poſſumus? nullum

lum ſane ex ipſorum authoritate comprobari efficaciter poterit, quorum ſcripta erroribus & exceſſibus plena eſſe, eâdem regulâ aſſerere licebit omni volenti phantaſmatibus cordis ſui, eorum ſententijs ſpretis, mordicus inhærere. Vnde huius tempeſtatis ſectarij, qui id ipſum de Auguſtino & cæteris Patribus cæcè aliquando prædicant; ſuum intentum fortè facilè, obtinebunt, & contra Eccleſiam, auxilio Patrum deſtitutam, horrendè triumphabunt: imò & Sedem Apoſtolicam, forſitan hinc ſpernēt quæ in iudicio contra Semi-Pelagianos Auguſtinum de exceſſu accuſantes, decreuit eius ſcripta, maximè contra Pelagianos, nullum exceſſum nihilque ſuſpicione dignum continere. quod falſum eſſe videtur, ſi falſum eſt id quod Auguſtinus toties contra Pelagianos conſtanter defendit, vt falſum eſſe iſti Theologi contendunt, paruulos ſcilicet ſine baptiſmo decedētes, ituros in ignem æternum pænâ ſenſibili puniendos.

8 Vnde clarè conſtat Semi-Pelagianos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. EMANUELE

Digitized by Google

Semipelagiani eodẽ modo quo quidam moderni Theologi de Augustini interdum exceſſu irrationabiliter conquerũtur.

hanc iſtorum Theologorum contra Auguſtinum querelam, iamdudum, contra eum depoſuiſſe, aſſerentes ipſum, neceſſariũ modum in ſuis diſputationibus exceſſiſſe, vt patet ex Epiſtola Cœleſtini cap. 3. quos propterea idem Pontifex obloquutores vocat, *qui piiſsimis diſputationibus obuiare præſumebant*, quamuis longe mitius ac moderatius, quàm iſti Theologi, Auguſtinum ibi de exceſſu taxare videbantur, dicentes eum, neceſſarium modum exceſſiſſe; non autem dixerunt ſolere excedere, ſiue morem eius fuiſſe excedere, vt iſti non dubitant affirmare. Qui igitur affirmauerit familiare Auguſtino fuiſſe loqui exceſſiue in ſuis contra hæreticos diſputationibus, cauere debet, ne iſto Sanctiſſimo & Doctiſſimo Pontifice teſte ac iudice, conuincatur eſſe ſaltem obloquutor & infamator piiſſimarum diſputationum illius, de quo præfatus S. Pontifex teſtatur ibidem c. 2. *Nunquam rumorem ſiniſtræ ſuſpicionis ipſum aſperſiſſe*, & cuius doctrinam Apoſtolicæ Sedis Sapientiſſimi ac Beatiſſimi Præſules tanti

Obloquutores vocat Cœleſtinus eos qui taliter de Auguſtino queruntur.

tanti ſemper fecerunt, vt Romanam Eccleſiam ſucceſsiue diuerſis ſtatutis ſaluberrime præmunierint ad eam ſeruandã & ſequendam, vt patet ex verbis Ioan. II. Romani Pontificis de duabus naturis aduerſus Euthychianiſtas. *Item Sanctus Auguſtinus, cuius doctrinam ſecundum Prædeceſsorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia.*

9 Dicetur Theologos affirmantes Auguſtinum, vel alios Patres in ſuis contra hæreticos concertationibus ſolere excedere, ſeu exceſſiue loqui, ſiue in extremum fugere, non intelligere per illa verba Auguſtinum aut alios Patres aſſertiue aut affirmatiue à veritate diſcedere, quod Semi-Pelagiani illi contendebant: ſed ſolere figurate loqui, aut exageratiue, aut hyperbolice, vt quantum a veritate diſtent aduerſarij, exponant ſicut quando Auguſtinus lib. 2. Retract. c. 24. ſe purgat ab impoſito ſibi (falsò tamen) errore de imagine Dei deleta in homine propter peccatum, cuius impoſitionis occaſio fuit, extollere peccati damna.

Hæc

Euacuatur quædam huius querele interpretatio.

10 Hæc tamen expoſitio illi Theologorũ prologuio de Auguſtino & Patribus, quomodo accommodari hic poſſet, non ſatis video: quia non ſolum affirmant præfati authores Auguſtinum de paruulis illis diſputantem exceſſiſſe, ſed aliquid humani paſſum fuiſſe, declinaſſe fugiendo extremã Pelagianorum ſententiam in aliam extremam, quam prædicti Theologi tanquam falſam, tanquam duram, tanquam rationi & pietati aduerſam magnis ingenij viribus impugnant; quo quid abſurdius, ſi Auguſtinum ibi à veritate non recedere, ſed ſolum figuratiue loqui arbitrarentur?

11 Præterea inquiri poteſt, An illa conſuetudo, quæ aſſeritur eſſe Auguſtini & aliorum Sanctorum contra hæreticos diſputantium in extremum fugiendi aut exceſſiue loquendi, hoc eſt figurate ſeu hyperbolice, ſit approbanda vel improbanda? ſi improbanda dicetur, Theologi, qui conſuetum modum diſputandi Auguſtini & Sanctorum improbandum, ac conſequenter vituperãdum affirmare præſumpſerint, impro-

improbandi ac vituperãdi potius ipſi conuincentur, ob tam inſignem Sanctorum iniuriam. Si tanquam approbanda & laudanda defendetur, cur nobis ſimili modo, quoties contra hæreticos diſputandum eſſet, non liceret, conſuetudinem laudabilẽ Auguſtini & Sanctorum loquendi exceſſiuè, imitari? hoc eſt figurate aut hyperbolice. Quo ſemel cõceſſo, quis non videat ſimiles Patrum ac Catholicorum cõtra hæreticos diſputationes, in quibus relicto ſenſu litterali recurritur ad figuras ac ænigmata, eſſe potius inſidioſas argutias ac friuolas oſtentationes aduerſarios decipiendi, eorum obiectionibus tenebras obſcurarũ reſponſionum offundendo, quàm grauem & ſolidam veritatis indagationem, atque ventilationem, vt eâ detectâ non amplius diſceptantes litigent inani ac puerili animoſitate, ſtudẽtes alterutrum vincere; ſed pax Chriſti potius vincat in cordibus eorum (quæ ex tam multis animis & multis cordibus fecit animã vnam & cor vnum) vt idipſum dicant omnes, & non ſint in eis

ſchiſmata, ſed ſint perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia, à qua perfectione remotiſſimi erunt diſputantes, quamdiu nihil magis ſecundum prædictam conſuetudinem ſtuduerint, quàm vt ſe inuicem non intelligant.

12 Confirmari idem poteſt; quia ſi verum eſſet conſuetudinem Auguſtini & Sanctorum fuiſſe, vti locutionibus figuratis, quomodo nobis paſſim non licuiſſet de eorum ſenſu, quantumuis ſecundum tenorē verborum clariſſimo, dubitare, imo & ab eis recedere? ſuſpicari enim merito poſſemus eos figurate locutos eſſe; quod mirum in modum doctrinam Auguſtini & Sanctorum eneruaret, pro qua nullam regulam habemus ad diſcernendam locutionē figuratam à non figurata, ſicut ad ſimiles Scripturarum locutiones dignoſcēdas, certas regulas ab ijſdem Patribus obſeruatas accepimus.

13 Item, ipſemet Auguſtinus clare reſiſtit prædictæ interpretationi in libris de doctrina Chriſtiana, vbi docet ſolos authores cano-

Digitized by Google

canonicos decuiſſe, & non alios, lòqui figurate ſeu obſcurè; ibi n. lib. 4. c. 6. tractans de eloquentia authorum canonicorum, ſequentia ſubdit verba. *Sicut eſt enim quædam eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, eſt quæ ſenilem; nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonæ non congruat eloquentis; ita eſt quædam quæ viros ſumma authoritate digniſſimos, planeque diuinos decet. Hàc illi loquuti ſunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa: ipſis enim congruit, alios autẽ quanto videtur humilior, tanto altius non ventoſitate ſed ſoliditate tranſcendit.* Et c. 8. eiuſdem libri idipſum concludens. *Quapropter* (inquit) *& eloquentes quidem non ſolum ſapientes Canonicos noſtros authores doctoreſque fateamur tali eloquentia vſos, qualis perſonis eiuſmodi congruebat, ſed nos: & ſi de litteris eorum quæ ſine difficultate intelliguntur, nonnulla ſumimus elocutionis exempla, nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis eſſe, in ijs quæ ad exercendas & elimandas quodammodo mẽtes legentium & ad rumpenda faſtidia, atque acuenda ſtudia diſcere volentium, ze-*

Solos Canonicos authores decet figurata ſeu obſcura locutio in Myſterijs Fidei.

Digitized by Google

landos quoq;, ſiue vt ad pietatē conuertantur, ſiue vt à myſterijs ſecludantur, animos impiorum vtili ac ſalubri obſcuritate dixerunt. Sic quippe illi locuti ſunt , vt poſteriores qui eos recte intelligerent, & exponerent alteram gratiam, diſparem quidem , verumtamen ſubſequentem in Dei Eccleſia reperirent. Non ergo expoſitores eorum ita loqui debent, tanquam ſe ipſi exponendos ſimili authoritate proponāt, ſed in omnibus ſermonibus ſuis primitus ac maxime vt intelligantur elaborent, eâ quantum poſsunt perſpicuitate dicēdi; vt aut multum tardus ſit, qui non intelligat ; aut in rerum quas explicare atque oſtendere volumus, difficultate ac ſubtilitate , non in noſtra locutione ſit cauſa, quo minus tardiuſue quod dicimus poſset intelligi. Non ergo prædicti Theologi (qui hos libros B. Auguſtini de doctrina Chriſtiana habent notiſſimos) dicendo eundem Auguſtinum & alios Sanctos contra hæreticos diſputantes, ſolere loqui exceſſiue, ſeu fugere in vnum extremum, intelligere voluerunt, eos loqui figurate , aut hyperbolice. Fateor igitur me

pror-

Digitized by Google

prorſus neſcire quid aliud per illa verba Auguſtino tribuere velint, quam ipſum à veritate declinare, ſiue ſcienter ſiue imprudenter; quod ſuperius reiecimus.

14 Vnde locus ille ex lib. 2. Retract. c. 24. adductus nihil fauet ſupradictæ interpretationi. Vbi enim quæſo legitur aliquem redarguiſſe Auguſtinum de errore, quia dixit imaginem Dei in homine propter peccatum deletam ſeu perditam? Non puto hoc oſtendi poſſe; neque etiam oſtendetur Auguſtinum fateri ſe aliquando in errore fuiſſe de imagine Dei deleta ſeu perdita; quia nuſquam dixit, totam imaginem Dei eſſe deletam, ſed imaginem Dei; quod in proprio & litterali ſenſu eſt verum, quia ipſa deleta ſeu perdita fuit, ſed quantum ad aliquid, vt ipſe in loco adducto ſe explicãs inſinuat, & euidenter ex Scripturis probat lib. 14. Trinit. c. 16. & lib. 1. Retract. c. 26. vbi ſcribit retractans illa verba ex lib. 83. qq. *Et ipſa creatura (id eſt, ipſe homo) cum iam ſignaculo imaginis propter peccatũ amiſſo, remanſit tantum creatura.* Quod non ita

Imago Dei non fuit totaliter deleta in homine per peccatum.

E iij (inquit)

(inquit) *accipiendum eſt, quaſi totum amiſerit homo, quod habebat, imaginis Dei; nam ſi omnino non amiſiſſet, non eſſet propter quod diceretur: Reformamini in nouitate mentis veſtræ: & in eandem imaginem transformamur. Sed rurſum ſi totum amiſiſſet, nihil maneret vnde diceretur: Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane conturbatur.*

Commendatio doctrinæ S. Auguſtini.

15 Tandem prudens Lector facile conſiderare poteſt, quàm egregie ſupradicta reſponſio diuinam prouidentiam commendet, quæ non ſolum alios Sanctos, ſed & Auguſtinum deſeruerit in magna Eccleſiæ neceſſitate, contra hæreticos diſputantem, & in fine vitæ ſuos libros retractantem, vt Eccleſiæ theſauros purè aureos ſcientiæ & ſapientiæ ex Scripturis Sanctis collectos, relinqueret; quæ inquā ipſum ſic deſeruerit, non eum illuminando vt ſuos exceſſus videret ipſemet, ac ſic nō proferret, aut corrigeret; ſed quoſdam modernos Theologos, quos tam mirabili fulgore illuſtrat, vt abſoluto ſemel ſtudiorum decurſu, ſtatim, tanta luce perfuſi, exceſſus & errata quæ Augu-

Auguſtinus vir tam ſtupendi ingenij, vt incomparabili excellẽtia celeberrimos quoſcunque vniuerſi orbis intellectus eo facile ſuperauerit : vir ſapientiâ litterarum omnium diuinarum ac humanarum ad perfectum ita imbutus, vt ipſe in laudem ſuæ admirabilis ſcientiæ, à quodam illius doctiſſimi ſui ſæculi erudito meruerit audire. *Vtcumque abſq; detrimento cultus diuini in alijs ſacerdotibus toleratur inſcitia; at cum ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi deeſt quicquid contigerit ignorari.* Quæ (inquam) Auguſtinus vir tantæ ſciẽtiæ ac totius gloriæ capax, toto vitæ ſuæ tempore videre nõ potuit; fiantq; iudices doctrinæ ipſius; doctrinæ (inquam) quam Eccleſia Catholica toties, hæreticis reclamãtibus, approbauit, & per quã eadem Eccleſia, *Superbiſſima hæreticorum commenta diſiecit, & Diabolicum tumorem* (vt recte Proſper) *Pelagianæ elationis eliſit.* Quis iſta diligenter perpenſa æquo animo ferre poteſt? Qui igitur in cubiculum ſecretorum doctrinæ Diui Auguſtini, in qua ſunt theſauri ſcientiæ & ſapientiæ,

pientiæ, admitti deſiderat; quando in quædam denſa & opaca eius incidit, non ea præcipitanter dãnare debet, dicendo ipſum ibi exceſſiſſe; cum hoc de ſuis proprijs ſcriptis ab alio dici, ipſe Auguſtino longe inferior, noluiſſet; ſed potius, pie cogitando tantæ authoritatis in Eccleſia eminentiã, & tanti ac tam admirabilis Doctoris profunditatem; credere ei expedit ibi aliquid latere, quod reprehendentibus & oppugnãtibus claudi, ac pię & humiliter petentibus aperiri dignum ſit. Sublatâ ergo impoſterum ac ſubuersâ illâ hactenus celeberrimæ apud quoſdam reſponſionis mole, quæ ingredientibus ad doctrinã B. Auguſt. colendam & amplectendã, ſeſe moleſtiſſime opponebat, eius authoritatẽ plurimum extenuando & eneruando, ad principalẽ difficultatẽ in principio propoſitam redeamus, indagemuſq;, vnde colligatur illos paruulos in ignem æternum ituros, ac ibi ſaltem aliquam moleſtiam paſſuros; vt inde pedetentim tentemus quo modo à pleriſq; deſtitutã B. Auguſt. ſententiam tueri poſſimus.

Digitized by Google

Indagatur ex quibus Scripturis Auguſtinus colligat æternam damnationem illorum paruulorum; concluditurque ex Scripturis, illos in ignem æternum ituros.

CAPVT TERTIVM.

Paruulos ſine baptiſmo mortuos æternâ ac ſenſibili pœna puniendos fore oſtendit neruoſe Auguſtinus ex ſacris litteris contra Pelagianos.

1 SANCTISSIMVS igitur Magiſter, Scripturarum vigilantiſſimus ſcrutator, ex occaſione Pelagianæ Hæreſis compulſus ad Scripturas examinandas, vt ex eis ſententiam Catholicam de peccato originali, deque eius pœnis, tam hic quam in futura vita declararet, defenderet, atque ſtabiliret; Paulum Apoſtolum arripit, id quod Scripturæ veteris teſtamenti clamāt, clariùs intonantem: (*Nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt vnius diei vita: In peccatis concepit me mater mea: Iugum graue ſuper filios Adam* &c.) per illam ſuam celebrem definitionem; *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors* &c. Vnde alibi tam operosè pœnas originalis in hac vita, deduximus; eundemque Apoſtolum:

Iob 14. iuxta 70. Pſal. 50. Eccl. 40. Ro. 5. v. 12.

F idem

idem Auguſtinus vlterius diligentiſſime obſeruat, alias duas ſententias ſcribentem, quibus debita prædicti peccati pœna poſt hanc
verſ. 18. vitã, ſignificatur: quarũ prior eſt, *Per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem*:
verſ. 16. Secunda, *Iudicium quidem ex vno, in condemnationẽ*. Quibus ſimilis eſt illa Domi-
Marci 16 ni apud Marcũ, *Qui verò non crediderit condemnabitur*. & illæ aliæ Euangelicæ quæ Serm. 14. de verb. Apoſt. adducuntur; *Qui*
Ioan. 3. *credit in eum, non iudicatur: qui autem nõ credit, iam iudicatus eſt*, *Qui incredulus eſt filio,*
Ibid. *non videbit vitã; ſed ira Dei manet ſuper eum,*
Ibid. *vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ex quibus Auguſtinus contra præfatos Pelagianos, tamquã dogma fidei, colligit naturã humanã peccato Adæ eſſe vitiatam: ſiue, vniuerſam humani generis maſſam ad iuſtiſſimã vindictã pertinere, ſeu dãnationi ſubiacere; *quã tota reciperet debitã, niſi ex ea faceret non tantũ iuſtus, ſed etiã miſericors figulus alia vaſa in honorem, ſecundũ gratiam*; vt ſcribit idem Magiſter epiſt. 157. de damnatione huius maſſæ tractans.

2 Vnde ſunt illa præclariſſima eius verba, de natura & gratia cap. 5. *Vniuerſa igitur maſſa pœnas debet; & , ſi omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur; non iniuſtè procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vaſa meritorum ſuorum, ſed vaſa miſericordiæ nominantur. Cuius miſericordiæ? niſi illius qui Chriſtum Ieſum miſit in hunc mundum peccatores ſaluos facere: quos præſciuit & prædeſtinauit & vocauit & iuſtificauit & glorificauit. Quis igitur vſque adeo dementiſſime inſaniat, vt non agat ineffabiles gratias miſericordiæ, quos voluit liberãtis, qui rectè nullo modo poſſet culpare iuſtitiã vniuerſos omnino dãnantis?* Hac ergo iuſta damnatione ab Auguſtino inconcuſsè cõtra Pelagianos ſtabilita, omniũ qui ex maſſa iſta nõ liberãtur (quia, vt inquit ipſe ſuprà, De natura & gratia. ca. 4. *Sine peccato nõ ſunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccauerunt, ſiue in Adam ſiue in ſemetipſis, & egent gloria Dei.* Hac (inquam) damnatione ſtabilita: pergit Auguſtinus vlterius ad examinandã &

diligentius diſcutiendam prædictam damnationem; an ex Scripturis colligi poſſit; illam, quantùm ad ſupradictos paruulos pertinet, conſiſtere in ſola excluſione à regno cælorũ ſine omni dolore ac moleſtia; vt ſinõ conſiſtere forte probaretur, inde Pelagianos efficacius cõuinceret, qui cõtendebant paruulos non baptizatos, quamquam excluſi à regno cælorum manerent, habituros extra illud regnum, vitam æternã; vt patet ex Sermone 14. de verbis Apoſtoli; vbi Beatus Auguſtinus non dubitat ſe euidenter ex Euangelio probare damnationem prædictorum paruulorum non cõſiſtere in ſola illa excluſione à regno cælorum ſine omni dolore ac moleſtia; atque adeo eſſe non ſolum veram damnationẽ quod Pelagiani negabãt, ſed & ignis damnationẽ. *Venturus eſt* (inquit ibidẽ:)
cap. 3. *Dominus & iudicaturus de viuis & mortuis; ſicut Euangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dextram & ſiniſtram; ſiniſtris dicturus, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius; dextris dicturus, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis*

Digitized by Google

bis paratum eſt ab origine mundi. Hanc regnum nominat; hanc, cum diabolo damnationem: nullus relictus eſt medius locus vbi ponere queas Infantes. De viuis & mortuis iudicabitur: alij erunt ad dextram, alij ad ſiniſtram: non noui aliud. Qui inducis medium, recede de medio, non te offendat qui dexterã quærit, & teipſum admonet, Recede de medio: ſed noli in ſiniſtram, ſi ergo dextra erit & ſiniſtra; & nullum medium locum in Euangelio nouimus: ecce in dextra regnum cælorum eſt, Percipite (inquit) regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. In dextera, ad regnum, vtique æternum; in ſiniſtra, in ignem æternum. Qui non in dextera, procul dubio in ſiniſtra; ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum. Certe habere non poteſt vitam æternam qui non baptizatur: non erit in dextra, id eſt in regno non erit. Vitam æternam computas ignem ſempiternum? & de ipſa vita æterna audi expreſſius; quia nihil aliud eſt regnum quam vita æterna. Prius regnum nominauit, ſed in dextris; ignem æternum, in ſiniſtris. Extrema autem ſententia vt doce-

 ret

ret quid ſit Regnum, & quid ſit ignis æternus: Tunc (inquit) *abibunt iſti in combuſtionem* cap.4. *æternam, iuſti autem in vitam æternam. Ecce expoſuit tibi quid ſit regnum, & quid ignis æternus: vt quando confiteris paruulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum.* Hucuſque B. Aug. Vel ergo dicendum eſt, paruulos omnes, qui in infantili ætate moriuntur, ſiue non baptizatos ſiue baptizatos, in Iudicium vniuerſale viuorum & mortuorum non venturos: atque adeo excipiendos eſſe à ſententiis vniuerſalibus Scripturarum & Symbolorum (quod nullus Catholicus dicere fortè audebit, quia Pelagiani hoc dicere non audebant:) vel neceſſario admittendum erit illos futuros in ſiniſtra, iſtos in dextra: & conſequenter illos cum diabolo in ignem æternum, iſtos cum Chriſto in vitam æternam ituros.

Solutio quorundam negantium eiuſcemodi paruulorũ pœnas, proponitur.

3 Dicetur, negari non poſſe ſecundum fidem Catholicam paruulos non baptizatos, de quibus eſt controuerſia, ad iudicium venturos, & in ſiniſtra futuros: negari tamen rectè poſſe, ex illo textu colligi eoſdem paruulos

los in ignem æternum ituros, quia ibi apud Matthæum ſolùm deſcribitur forma, qua iudicabuntur ij qui in Eccleſia ſunt. Vnde ad prædictos paruulos minimè pertinet, qui in Eccleſia nunquam fuerunt. Quod probari efficaciter poteſt ex prædictis E-uangelij verbis; tum quia Dominus comparat ibi bonos & malos, ouibus & hædis, qui in eodem grege eiuſdem paſtoris numerantur: Conſtat autem gregem vnius paſtoris, nihil eſſe aliud niſi Eccleſiam, in qua ſunt boni & mali, ſed Chriſtiani: infideles enim lupis potius & canibus, quàm hædis, in Scripturis comparari ſolent. Tum denique quia cum Euangelium ad ſolos fideles pertineat (neque enim fidem habent Euangelio, niſi fideles) non erat opus in Euangelio deſcribere formam qua iudicabuntur infideles: ſed ſatis fuit in genere dixiſſe, *Qui non crediderit condemnabitur*, Marci vltimo, &, *Qui incredulus eſt filio non videbit vitam*. Ioannis 3. & de paruulis, *Vnius delicto in omnes in condemnationem*. Rom. 5. Et tandem, quia qui ex ſiniſtra ituri ſunt

in

in ignem æternũ, audituri ſunt ſententiam *Ite maledicti in ignem æternum:* Et Dominus cauſam ſtatim adijciet, quia ſcilicet opera miſericordiæ erga pauperes non fecerunt, vt patet ex illis eius verbis. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare,* &c. ſed paruuli de quibus iſta quæſtio verſatur, iudicari non poterunt quia iſta opera omiſerunt; conſequens ergo eſt vt non accipiant eam ſententiam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Cum ergo mittuntur in ignem æternum ſecundum illum textum Matthæi, qui opera fidei in pauperes non fecerunt: ſatis apertè indicatur illam iudicij formam ad ſolos fideles eſſe referendam. Et hæc ſunt acutiſſima quæ à præfatis Theologis proferuntur ad defendendam ſuam, & ſimul Auguſtini ſententiam labefactandam.

4 Quod confirmare nobis vlteriùs placet, ex doctrina ipſius Auguſtini ſerm. 5. de verb. Domini. *Penè quidem omnes Sacramentum corpus eius dicunt, quia omnes in paſcuis eius paſcunt: ſed venturus eſt qui diuidat, & alios ponat ad dextram, alios ad ſiniſtram: & vtraque*

que pars dictura eſt; Domine, Domine, quando te vidimus, & miniſtrauimus tibi? vel quando te vidimus & non miniſtrauimus tibi? pars vtraque dictura eſt; vni tamen dicet, Venite benedicti patris mei, percipite regnum; alteri, Ite in ignem æternum. Vbi apertè Aug. innuit Scripturam illam Matthæi intelligi debere de bonis ac malis fidelibus, qui ſolùm in paſcuis Chriſti ſimul paſcunt. Quod manifeſte etiam docere videtur, de fide & operibus, capite decimo quinto, illis verbis: *Propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permiſtæ eiſdem paſcuis vtebantur; vt appareat eos ei dicturos; Domine quando vidimus te illa & illa patientem & non miniſtrauimus tibi? qui in eum crediderant ſed bona operari non curauerant.* Quid manifeſtius quàm in verbis illis Matthæi, Dominum, ſecundùm Auguſtinum, loqui de ſolis fidelibus.

5 Et hoc clarius adhuc ſignificat libro vno ad Donatiſtas poſt collationem cap. 4. *Agebamus* (inquit) *vt cauſa & perſona paleæ non præiudicaret perſonæ frumenti, quamuis*

in eadem ſimul area triturarentur, donec nouiſsima ventilatione ſepararentur: vt cauſa & perſonâ hædorum non præiudicaret cauſæ & perſonæ ouium, quamuis communibus paſcuis vtraque pecora permixta ſeruentur, donec à paſtore ſummo in iudicio nouiſsimo alij ad ſiniſtram, alij ad dextram ſegregentur: vt cauſa & perſona piſcium malorum non præiudicaret cauſæ & perſonæ piſcium bonorum, quamuis intra eadem retia tenerentur, in extremo littore ſeparandi, hoc eſt, in fine maris, quod ſignificat finem ſæculi. Quibus parabolis & figuris Eccleſia prænunciata eſt vſque ad finem ſæculi, bonos & malos ſimul habitura. Manifeſtum igitur videtur ex doctrina B. Auguſtini, non ſolum illam Matthæi Scripturam, ſed alias ſimilitudines ac parabolas Euangelicas de iudicio tractantes, intelligendas eſſe vel de hædis & ouibus, qui ſub vno paſtore in eiſdem paſcuis paſcunt; vel de piſcibus bonis ac malis, qui intra eadem retia tenentur, vel de granis & paleis quæ in eadem area triturantur: atque adeò de eis ſiue bonis, ſiue malis, qui in eadē Eccleſia

cleſia habentur; vnde nihil ex Scriptura illa Matthæi, ipſo Auguſtino teſte in iſtis alijs locis, de pæna paruulorum non baptizatorum, cum de Eccleſia non ſint, colligi poſſe videtur.

Oſtenditur non ſolum formam ſpecialem Chriſtianorum iudicandorum, ſed & formam vniuerſalem, qua omnes in vniuerſum iudicabuntur, in illo Matthæi loco deſcribi.

CAPVT QVARTVM.

Impugnatur prædicta ſolutio ex Sacris Scripturis, & B. Auguſtino: probaturq́ vniuerſum hominum genus in duas tantū claſſes fore in vniuerſali iudicio diuidendū.

1 SEd contra ſupradicta, primò opponi poteſt, ſi ſaluâ fide negari non poteſt paruulos non baptizatos futuros in ſiniſtra, vt in prædicta reſponſione conceditur; quærendum eſſe, vnde hoc fidei dogma (id eſt paruulos illos futuros in ſiniſtra) colligatur? non ex traditione aut verbo Dei nō ſcripto tantùm; quia hoc nullus hactenus dixit aut ſcripſit, aut ſcribere niſi falſo potuit, ſi Auguſtino & alijs Patribus credatur, qui illud ex Matthæo probare contendunt. Non ex Concilijs; quia nul-

Digitized by Google

lum hoc definit: nec ex Sacra Scriptura ; in nulla enim, ni fallor, Scriptura, vel Prophetica, vel Euangelica, vel Apoſtolicâ mentio habetur de ſegregatione iudicandorum in duas partes dextræ & ſiniſtræ, præter illam Matthæi Scripturã. Si igitur illa Scriptura de ſolis Catholicis ſiue malis, ſiue bonis, qui ſub vno Paſtore Chriſto in paſcuis Eccleſiæ paſcuntur, intelligẽda erit, vt Scholaſtici illi volunt; ex qua Scriptura certũ erit paruulos non baptizatos, qui de Eccleſia nõ ſunt, futuros in ſiniſtra ? Ex qua etiam Scriptura certum erit infideles omnes, qui nihil de Chriſto vel audierunt vel crediderũt, & cõſequenter qui de Eccleſia non fuerunt, in ſiniſtra futuros? Ex qua etiã Scriptura certum erit hæreticos omnes, qui extra Eccleſiæ vnitatem moriuntur, propter peccata quæ in hæreſi, & conſequenter extra Eccleſiã, commiſerunt, futuros in ſiniſtra? Quis ſapientium Catholicorum de hoc ambigere audebit ? Fide ergo Euangelica, ex illa Matthæi Scriptura certum eſt paruulos nõ baptizatos futuros in ſiniſtra. Eâdem fide

certum

Digitized by Google

certum eſt omnes hæreticos qui in hæreſi moriuntur, & alios infideles, futuros in ſiniſtra; quamuis prædicti omnes, non ſint de Eccleſia. Non ergo in prædicta Matthæi Scriptura deſcribitur forma tantum iudicij eorum, qui in Eccleſia ſunt, bonorum ac malorũ Chriſtianorum; ſed cum iudiciũ futurum vniuerſale ſit viuorũ ac mortuorum: formam vniuerſalẽ vniuerſorum iudicandorum deſcribi oportebat. Ingenuè tamen fatendum eſt, Chriſtum Dominum, quia fidelibus in illis parabolis loquebatur, ſimul deſcribere formam ſpecialem qua fideles omnes ſiue boni ſiue mali iudicabuntur; quaque malos increpaturus eſt, quod bonum operari omiſerunt; propter quod ad ſiniſtram ponentur, ituri in ignem æternum cum diabolo; vt oſtendat fidelibus ſolam fidem, (qua à Paganis quamuis multum differant) non ſufficere ad dextram acquirendam, & conſequenter nec ad ſalutem æternam, ſi bene operari neglexerint.

2 Proinde quando ſupradicta Scriptura tranſire latenter videtur à genere ad ſpeciẽ,

Digitized by Google

& à ſpecie ad genus; hoc eſt à toto cætu iudicandorum, ad partem eius, ſcilicet ad fideles; & à parte ad totum, more aliarum Scripturarum, quam explicat Tyconius apud Auguſtinum lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 34. regula 3. vigilare debet lectoris intentio, vt quando de ſola ſpecie ibi loqui videatur, non de ipſa ſola, genere prorſus omiſſo, eam intelligi putet. Vnde perperam aliqui inferunt, Scripturam illam de ſolis adultis Chriſtianis intelligi, quia eis ſolis congruit Chriſti ibi commemorata increpatio: aliàs dicendum ſimiliter eſſet de eis ſolis eam intelligi debere, qui opera miſericordiæ omiſerunt, non autem de eis qui multa mala commiſerunt, quia ſoli illa opera omittentes ad literam ibi increpantur. Recte igitur Auguſtinus nôtat in ſupradictis locis, Eccleſiam illis parabolis Euangelicis prænunciari, formamque iudicij, qua boni & mali eius, iudicabuntur, ſpecialiter deſcribi: nuſquam tamen negat deſcribi etiam ſimul in ſupradicta Matthæi Scriptura, formam vniuerſi cætus viuorum

ac mor-

ac mortuorum iudicandi ; imò illam deſcribi, ſatis apertè demonſtrat in illo ſermone 14. de verbis Apoſtoli : *De viuis (inquit)* cap. 3. *& mortuis iudicabitur; alij erunt ad dextrã, alij ad ſiniſtram. Non noui aliud.* Et paulò infra : *Si ergo dextra erit & ſiniſtra, & nullum medium locum in Euangelio nouimus; ecce, in dextra regnum cælorum eſt. Percipite (inquit) regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum.* Ita ibi Auguſtinus.

3 Cum ergo iudicium illud generale ſit, in quo non ſolum de fidelibus, ſed de vniuerſis viuis & mortuis iudicabitur, & nullus alius locus ab Euangelio aſſignetur, in quo omnes eidem iudicio adſtabunt, ſententiam iudicis expectantes, quàm dextra & ſiniſtra : diligenter conſiderandum eſt, quã efficaciter concludat Sanctiſſimus Magiſter, verbis iam citatis, & ſubſequentibus, de pæna ignis prædictorum paruulorum, non ſolum contra Pelagianos, ſed contra hos Theologos. *Quid* (inquit) *erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. In dextra ad regnum,*

Iudicium generale de omnibus hominibus etiam infidelibus feretur.

gnum, vtique æternum; in ſiniſtra, in ignem æternum. Qui non in dextra; procul dubio in ſiniſtra: ergo qui non in regno; procul dubio in ignem æternum. Ita S. Auguſt. Sed fides Catholica eſt, paruulos illos non futuros in Regno; ergo ibunt in ignem æternum.

4 Hanc euidentiſſimam conſequentiam, quæ ab aliquo Theologo neſcio quomodo negari poteſt, non fundat Beatiſſimus Magiſter in libris Ethicorum Ariſtotelis Stagiritæ, ſed in Euangelio diuinorum atque infallibilium eloquiorum Domini Saluatoris, quæ ſunt apud Matthæum Apoſtolum ac Euangeliſtam. Eamque vlteriùs probare poſſumus ex manifeſtiſſima alia Scriptura Ioannis Euangeliſtæ, qui in libro ſuo Apocalypſis cap. 20. deſcribens extremum & vniuerſale iudicium, verba ſequentia ſcribit. *Et vidi thronum magnum candidũ, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis. Et vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni; & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ.* Et paulo pòſt

Digitized by Google

lò poſt in fine eiuſdem capitis: *Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Super quæ verba Auguſtinus libro vigeſimo de Ciuitate Dei, capite decimo quinto: *Non Deum iſte liber commemorat, ne obliuione fallatur, ſed prædeſtinationem ſignificat eorum quibus æterna dabitur vita; neque enim neſcit eos Deus, & in libro eos legit, vt ſciat; ſed potius ipſa eius præſcientia de illis, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſunt ſcripti, id eſt, ante præcogniti.*

5 Certum igitur eſt ſecundum Auguſtinum, librum illum vitæ apud Ioannem ſignificare prædeſtinationem, ſeu eſſe librum prædeſtinationis: quod prædicti Scholaſtici fatentur. Vnde Eccleſia in quadam Secreta communi dierum quadrageſimæ, canit: *Et omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.* Ergo certum eſt iuxta Ioannem omnes homines qui prædeſtinati non fuerint, fore mittendos in ſtagnum ignis; certiſſimum igitur erit paruulos non baptizatos in idem ſta-

Digitized by Google

gnum mittendos fore, quia de fide certum eſt, eos non eſſe prædeſtinatos, nec in libro vitæ ſcriptos.

6 Quapropter Beatiſsimus Auguſtinus ad hanc manifeſtiſſimam Euangelij, & Apocal. atteſtationem reſpiciens, de duobus tantũ domicilijs vniuerſæ creaturæ rationalis poſt iudicium, videl. Dei regni, & ignis æterni, non dubitat ſe efficaciſſimè probare lib. 21. ciuit. cap. 25. eos qui agunt opera carnis, quos Paul. ad Galat. affirmat non poſſeſſuros regnum Dei, hoc ipſo quod illud regnum nunquam poſſeſſuri ſint, futuros eſſe poſt iudicium nõ poſſe niſi in ſempiterno ignis ſupplicio. *Et ſi* (inquit) *in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt; æterno ſupplicio tenebuntur, quoniam non eſt locus medius vbi non ſit in ſupplicio qui illo non fuerit conſtitutus in regno.* Quam conſequentiam toties vbi ſupra de verbis Apoſt. contra Pelagianos inculcat, quia eam videt ſecundum Scripturas Sanctas irrefragabilẽ; *Ecce* (inquit) *expoſui tibi quid ſit regnum, & quid ſit ignis æternus, vt quando confiteris*

paruu-

Digitized by Google

paruulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum. Et paulo pòſt: *Non eos terruit quod erunt in igne ſempiterno, quò ſine dubio ibunt, ſi non corriguntur, ſed tantùm terruit quia in regno non erunt, vt cum viderent ſe perdere ſpem regni, non viderent eſſe conſequens, niſi pænam ignis æterni.* Et ruſum ibidem. *Vnde autem euadunt ab igne ſempiterno, non ob aliud niſi quia erunt in regno.*

Refellitur quædam eluſio, quâ prædictæ Scripturæ & aliæ etiam, pœnam ignis omnibus damnatis promittentes, eneruantur.

CAPVT QVINTVM.

1 DIcetur fortè; à nemine qui Euangelio Matthæi, aut Ioannis Apocalypſi credit, atque adeo à nullo Chriſtiano Catholico, negari poſſe prædictos paruulos ituros in ignem æternum, ſeu mittendos in ſtagnum ignis; ignem tamen æternum, ſeu ignis ſtagnum accipi ibi pro loco inferni, vbi eſt ignis æternus, ſiue pro damna-

tione; non quod prædicti paruuli igne inflammabuntur, cruciabuntur, aut moleſtabuntur; quia erunt in parte altiori eius loci. Vnde ipſemet Auguſtinus quamuis ſermone illo decimo quarto definiat paruulos non baptizatos in ignem æternum ituros; non determinat ſpeciem aut qualitatem pœnæ ipſorum; de qua tractans libro quinto contra Iul. capite octauo, aliàs vndecimo, ſcribit: *Quæ, qualis & quanta erit, quamuis definire non poſſim; non tamen audeo dicere quod eis vt nulli eſſent, quam vt ibi eſſent, potius expediret.*

Per ſtagnũ illud ignis Apoc. 20. nil præter inferni cruciatum intelligitur, quo omnis non prædeſtinatus ad gloriam plectetur.

2 Sed contra hanc euaſionem obijci poteſt, id quod Beatiſſimus Auguſtinus ſcribit libro de fide & op. cap. 15. redarguens illos qui dicebant ignem inferni eſſe æternum, ſed operationem eius in quoſdam qui in eum ituri ſunt, non fore æternam. Non enim minus militat de paruulis, quã de maioribus, de quibus eum ibi loquutũ fuiſſe fatemur. *Neque illud* (inquit) *dici hic poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducant, ignem, æternum dictum, non ipſam combuſtionem, æter-*

æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem: vt videlicet ipſe ignis æternus ſit, combuſtio vero eorum, hoc eſt, operatio ignis, non ſit in eos æterna: cum & hoc præuidens Dominus, ſententiam ſuam concluſit, ita dicens; ſic ibunt illi in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis; & eos in illam ituros veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declarauit. Simili enim formâ, nos argumentari poſſumus, Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis: & omnes eos in illam ituros, veritas dicit, qui futuri ſunt in ſiniſtra; ergo veritas affirmat paruulos non baptizatos, non ſolùm in ignem æternum, ſed in combuſtionem æternam, hoc eſt, in operationem æternam, qua ignis in eos aget, ituros.

3 Nec refert pro verbo (*combuſtionem*) in verſione qua nos vtimur, poni, *Supplicium:* Quia certum eſt ex illo Auguſtini loco, aliquos interpretes verbũ quod *ſupplicio*, in Hebræo vel Græco correſpondet,

per verbum (*combuſtionem*) expoſuiſſe. Et ſiue ſupplicium ſiue punitio (vt verbum quod ſupplicio in nõnullis codicibus Græcis correſpondet, ſignificat) legatur; negari non poteſt colligi euidenter ex Scripturis illos paruulos non ſolum ituros in ignẽ æternum, ſed etiam in punitionem ſeu ſupplicium æternum. Dicatur ergo ſimiliter illos ituros in punitionem æternam, in ſupplicium æternum, hoc eſt, in locum punitionis, in locum ſupplicij, non quia ibi aliqua pœna punientur, ſeu aliquo ſupplicio afficientur, ſed quia erunt in eodem pœnarum & ſuppliciorum loco, in altiori tamen parte illius loci, ſeparati (inquiunt) à damnatis qui pœnas ac ſupplica patientur.

4 Sed quis non videat, ei, cui ſimiles ſolutiones, ac reſponſiones contemnendæ non videbuntur, facile perſuaderi poſſe Beati Auguſtini diſputationes ac rationes contra Pelagianos ad defendendum originale peccatum, eiuſque debitam condemnationem, eſſe omnino nugatorias, & plus garru-

garrulas atque acutulas, quam ſolidas & efficaces? Quod aſſerere, non ſolum B. Auguſtino eſſet iniurioſum, ſed & Sanctæ Eccleſiæ, *cuius Catholica acies, viginti amplius annis*, teſte Sancto Proſpero, *ſub ductu* eiuſdem Sanctiſſimi Magiſtri, contra prædictos Pelagianos ac Semi-pelagianos *pugnauit & vicit*; quia ſi non efficaciter probatur ex Scripturis affirmantibus omnes qui in ſiniſtra ſunt ituros in ignem æternum, illos omnes pœnæ ignis obnoxios futuros; ſed aliquos ex eis ire ad locum ignis, non vt ibi aliquo modo ab igne puniantur, aut quocumque alio modo ibi magis quàm alibi puniantur: Quomodo ſimili modo non inefficaciter probabitur ex alijs Scripturis affirmãtibus illos omnes ituros in punitionem aut ſupplicium; eoſdem omnes ſupplicio, aut punitioni futuros obnoxios? Quomodo ergo Scriptura illa Matthæi nõ erit inefficax, ad conſtituendum aut ſtabiliendum fidei dogma de malorum ſupplicijs poſt iudicium; igitur Sanctus Auguſt. nugatur, quoties ex illa hoc probare contendit;

Eccleſia Catholica ſub ductu Auguſtini vicit Pelagianos.

Digitized by Google

tendit; ergo etiam non diſſimilibus nugis fallere vult Pelagianos quoties ex illis Apoſtolicis teſtimonijs (*Ex vno omnes in condemnationem ; Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*) ſe efficaciter contra eoſdem, probare contendit paruulorum delictum, atque eorum qui ex hac vita decedunt ſine baptiſmo, damnationem, vt contendit libro primo de peccatorum meritis, capite 16. Epiſtola 105. 157. & aliàs ſæpiſſimè. quia reſpondere ei poſſent Pelagiani, illis Scripturis non nihil cedendo, ex eis forte colligi poſſe, paruulos ituros in locum ſupplicij, in locum punitionis, in locum, ſeu ad locum damnationis; non autem ex eis colligi illos puniendos aut damnandos aliquâ punitione aut damnatione.

Cuiuſdam moderni opinio taxatur.

5 Quam expoſitionem, quantum ad paruulorum non baptizatorum à damnatione immunitatem, approbaret quidam modernus Scripturarum & Auguſtinianæ doctrinæ, quàm Canonum, minus gnarus; qui ſcribit contra manifeſtas Scripturas Euangelicas

Digitized by Google

gelicas & Apoſtolicas; ſequentia verba, in libello intitulato Summa doctrinæ de Prædeſtinatione; *Satis ſit* (inquit) *concluſio hæc, quam arbitror Catholiciſsimam, nullum in futuro Christi iudicio propter illud ſolum Adæ peccatum eſſe damnandum; ſed, vt ait Apoſtolus, vnuſquiſque onus ſuum portabit, & iudicabitur prout geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.* Iudicet igitur vigilans lector, an qui illi interpretationi ſuffragaretur, Scripturas illas eneruaret ac eluderet; Beatiſſimum Auguſtinum, nugarum & garrulitatis cōdemnaret; Eccleſiam tam multùm Auguſtino garrienti deferentem, de inſcitia & ſtultitia diffamaret; Pelagianos horrendè adiuuaret, qui ex prædictis Scripturis colligi non poſſe ſimiliter defendebāt, paruulos futuros alicui pœnæ aut damnationi obnoxios; quamuis eos ad regnum cœlorum non ituros, quia non baptizabantur, admitterent.

Alijs modis contenditur prædictos paruulos puniri, alijs pœnis præter pœnam excluſionis à regno cælorum; examinaturque, an qui hoc negant, tollere videantur originale?

CAPVT SEXTVM.

Ratione probatur, Originali pœnam ſenſibilem deberi.

1 VT ergo in primis à ratione incipiamus, probari poſſe videtur, præter carentiam diuinæ viſionis, quæ omni peccato mortali indifferenter debetur, aliam pœnam originali correſpondere. Quis enim credet non eſſe futuram maiorem pœnam eius, qui in duobus tantũ peccatis, vno originali & alio actuali mortali, quod ſit v. g. ſex graduum grauitatis, vitam finit, quàm eius qui in ſolo vno actuali, ſex ſimiliter graduum grauitatis? Si enim ille aliquid diſtinctũ culpæ, aut peccati habet, quod iſte non habet, cur non & pœnæ? Sed iſte qui in vnico actuali moritur, patitur pœnã ſenſibilẽ ad ſex gradus intenſam, correſpondentem grauitati ſui peccati actualis, & pœnam quam Scholaſtici vocant, damni,

damni, quâ punitũr totali carentiâ diuinæ viſionis; ergo ille qui in duobus peccatis decedit, vltra pœnam ſenſibilem ſex graduum, correſpondẽtem grauitati ſui actualis, & vltra totalem diuinæ viſionis carentiam, plectendus neceſſario erit alio nouo & diſtincto cruciatu; aliàs conſequens eſſe videretur, pœnam morientis in originali & actuali, non eſſe maiorem, pœnâ eius qui in ſolo actuali moritur. Quo ſemel conceſſo inferri recte poſſe vlterius videretur, non eſſe plus culpæ aut peccati in originali & actuali ſimul, quàm in ſolo actuali, cum ſimul iuncta non obligent ad aliam nouam vel maiorem pœnam, quàm ad eam ad quã ſolum actuale obligaret; atque adeo originale non eſſe verum, ſed commentitium peccatum, nullâ damnatione dignũ, quod Pelagius dogmatizabat.

Sed omiſsâ iſtâ coniectura, quæ fortè aliquâ inſtantia turbari poſſet, vrgetur amplius paruulos illos non ſola pœna damni ſeu exilij puniri, quia certum eſt Chriſtum Dominum dicturum illis, vt ſuperius ad-

Paruuli ſine baptiſmo defuncti vltra pœnam damni, etiã ſenſus pœnam patiuntur.

 miſſum

miſſum eſt, eos damnando ac puniendo, Matt. 25. *Ite in ignem æternum:* ergo aliquid incommodi, ac moleſtiæ eis adferet fore æternaliter in illo igne, præter damnationem, quã haberent etiamſi in paradiſo terreſtri (qui eis à Pelagianis, & à quibuſdam modernis fabricatur) aut in alia terræ parte extra illum ignem remanerent: vbicumq; autem inter ignem inferni, & regnum cœlorum poſt iudicium eſſent, neceſſario haberent pœnam damni, ſeu carentiam diuinæ viſionis; ergo cum per ſententiam damnationis non alibi eſſe permittantur, ſed in ignẽ æternum inſuper cum ſuis corporibus mittantur: aliquid vlterioris pœnæ ibi patientur, præter damni pœnam, quæ nuſquam extra cœlum poſt mortem ab eis ſeparari poteſt: quod cogitari eſſe aliud præter ſenſibilem moleſtiam non poteſt.

2 Quæ ratio vt planius explicetur, præmittendum eſt id, quod ſcribit Sanctiſſimus Magiſter libro 21. ciuitatis Dei, cap. vndecimo: *Octo genera pœnarum in legibus eſſe; damnum, vincula, verbera, talionem,* *igno-*

Octo pœnarum genera iuxta Auguſt.

ignominiam, exilium, mortem, ſeruitutem. Rurſumque obſeruanda ſunt verba eiuſdem Magiſtri ſerm. 14. de verb. Apoſt. pœnam eorum, qui ſolum exilium patiuntur, deſcribentis. *Nam & qui exulantur* (inquit) *viuunt, ſi ſani ſunt; in doloribus corporis non ſunt, nec torquentur, non carceris tenebris affliguntur; hæc illis ſola pœna eſt, non eſſe in patria.* cap. 6.

3 Quibus ſic conſtitutis quærendum eſt à Theologis illis, vt iterata ſua confeſſione robuſtius ligentur, vtrum prædicti paruuli ſolam pœnam exilij poſt iudicium ſuſtinebunt? Reſpondent conſtanter affirmatiue: ſolā enim (inquiunt) pœnam damni propter originale habebunt; quam explicant carentiam diuinæ viſionis. Vnde prædicti paruuli excludentur ab ingreſſu veræ patriæ, creaturæ rationalis, imaginis Dei; quod eſt regnum cœlorum; in quod nullus non renatus ex aqua & Spiritu Sancto intrabit.

4 Sed contra hoc opponi poteſt, inde euidenter ſequi, contra incautè ſic ſuperius

conceſſa, non omnes, qui futuri ſunt in ſiniſtra, ituros in ignem æternum, ſeu mittendos in ſtagnum ignis. Quis enim negare poterit, ignem æternum ſeu locum ignis, omnibus, qui in eum per ſententiam damnationis mittentur, vnde exire non poterunt donec reddant vltimum quadrantẽ, quem numquã reddent; fore arctiſſimum ac teterrimum carcerem? Si igitur paruuli non baptizati ſolam pœnam exilij (vt prædicti Theologi affirmant) habebunt, quæ hoc ſolum incommodi ac damni adfert punito, quod in patria nõ ſit, ſeu quod ab ea excludatur, vt ex ſupradictis conſtat; non patientur pœnam carceris: quod eſt aliud pœnæ genus, diſtinctum à pœna exilij (vt conſtat ex ijs quæ paulo antè adduximus ex libro vegeſimo primo de ciuitate Dei; & clare patet in eo qui in exilium mitteretur, ſi à patria relegatus, vltra exilium, in carcerem truderetur: inde enim pœna eius augeri conuinceretur) igitur non ibũt in ignem æternum; atque adeò falsò minatur Chriſtus Dominus, omnes qui futuri ſunt

Digitized by Google

ri ſunt in ſiniſtra, ituros in ignẽ æternum; falſoque Ioannes prædicat omnes, qui in libro vitæ non reperientur ſcripti, mittendos in ſtagnum ignis.

5 Præterea, ſi pueri illi poſt Iudicium pœ-

Neceſſum eſt prædictos paruulos vltra pœnam damni paſſuros etiam ſeruitutis & captiuitatis diabolicæ pœnæ.

nam ſolam exilij patientur, vt hæc ſolum pœna illis futura ſit, non eſſe in patria; inde ſequetur illos non paſſuros aliquam pœnã ſeruitutis, hoc eſt enim aliud diſtinctum pœnæ genus à pœna exilij, vt liquet ex Auguſtino vbi ſupra, de ciuitate Dei; & plane patet in eo, qui per ſententiam à ſua patria exularet, ſi inſuper in ſeruitutem alicuius redigeretur; inde enim nouum damnum ac incommodum ei reſultare, quis negare poſſet, cum propterea ingenuitate priuaretur? Sed fides Catholica eſt, paruulos illos omnes naſci peccati ſeruos, ac conſequenter diaboli, peccati principis & auctoris, captiuos. *A quo enim quis deuictus eſt,* 2. Petr. 2.
huic & ſeruus addictus eſt; &, *Qui facit pec-* Ioan. 8.
catum, ſeruus eſt peccati. Propter quod Auguſtinus de concupiſcentia tractans, libro primo de nup. & concup. cap. 23. *Hoc ge-*

neri

neri humano inflictum vulnus à diabolo, quicquid per illud naſcitur, cogit eſſe ſub diabolo, tamquam à ſuo frutice fructum iure decerpat.

6 Vnde rectè Zoſimus Papa apud Augu-
Zoſimus Papa. ſtinum Epiſt. 157. *Nullus enim niſi qui peccati ſeruus eſt, liber efficitur; nec redemptus dici poteſt, niſi qui vere per peccatum fuerit*
Ioan.8. *antè captiuus: ſicut ſcriptum eſt, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Cui con-
Cœleſtinus Papa. gruit Cœleſtinus in Epiſtola ſua ad Gallos, capite duodecimo: *Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerſo mundo Sancta Eccleſia vniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu. Cum ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius vitæ fontem adeunt, quam exorciſmis & exufflationibus Clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur; vt tunc vere appareat quomodo Princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeßionẽ tranſlata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus.*

7 Hoc-

Digitized by Google

7 Hocque tamquam dogma fidei definit tandem Trident. Seſſ. 5. in Decreto de peccato originali; *Si quis non confitetur primum hominum Adam, cum mandatum Dei in paradiſo fuiſſet transſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam præuaricationis huiuſmodi, iram & indignationem Dei, atque ideò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus; & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli; totumque Adam per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam, in deterius commutatum fuiſſe; anathema ſit.* Fide igitur Catholicâ certiſsimum eſt, illos paruulos in eadem Diaboli captiuitate, & ſeruitute poſt hanc vitam manſuros; & conſequenter poſt iudicium. Per ſolam enim peccati originalis remiſsionem, ac mundationẽ, quam nunquam conſequuti ſunt, ab ea captiuitate liberari poſſent; & quamdiu illud peccatum habẽt, tamdiu Diabolo ſubduntur; (vt ſcribit Auguſtinus loco ſupra cita- Auguſt.

K to,)

to,) de nuptijs & concupiſcentia. *Non enim* (inquit) *propter ſeipſam, quæ laudabilis eſt; quia opus Dei eſt; ſed propter damnabile vitium quo vitiata eſt, natura humana damnatur. Et propter quod damnatur, propter hoc & damnabili Diabolo ſubiugatur, quia & ipſe Diabolus ſpiritus immundus eſt; & vtique bonum, quòd ſpiritus; malum, quod immundus; quoniam ſpiritus eſt naturâ, immundus eſt vitio. Quorum duorum illud à Deo eſt, hoc ab ipſo. Non itaque tenet homines, ſiue maioris, ſiue infantilis ætatis, propter quod homines ſunt, ſed propter quod immundi ſunt.*

8 An qui igitur à prædictis paruulis tollunt poſt iudicium hanc ſub Diabolo pœnã ſeruitutis ac captiuitatis, quia eis affirmant ſolã pœnam futurã non videre clarè Deum; velint nolint forte coguntur docere in eis non fore poſt iudicium, peccatũ originale; quod in nullo ſtatu ineſſe homini poteſt à prædicta ſub Diabolo captiuitate ſeparatum? Quod ſi ſic; an etiam conſequenter, velint nolint, prædicare forſan ſimiliter conuincuntur præfatos paruulos nullum

pecca-

peccatum originale, in hac vita habuiſſe; quod fuit Pelagij dogma? Si enim poſt iudicium, pœnâ captiuitatis ſub Diabolo, illi paruuli non plectentur, & conſequenter nec peccatum originale habebunt; numquam illud habuerunt: quia ſi habuiſſent, ſemper eis inhæſiſſet, cum nec baptiſmo, nec morte pro Chriſto Domino, ab eo liberati fuiſſent. An ſolũ igitur reſtare videtur ei qui tam horrenda præcipitia euitare voluerit, humiliter concedere prædictos paruulos poſt iudicium puniri non ſolum pœnâ damni, quæ per ſolam diuinæ viſionis carentiam ab eis explicatur; ſed & pœnâ ſeruitutis & captiuitatis ſub nequiſſimo hoſte, non in illis campis Elyſijs Poëtarum, ſed in tenebroſiſſimo & luctuoſiſſimo ignis carcere? Quæ omnia eis amaritudinis plena futura eſſe, quis ſobriæ mentis dubitare poteſt? Omnis enim pœna damnatorum poſt hanc vitam, ſecundum Theologos iſtos, quibuſcum diſputamus, aut eſt pœna damni, quæ eſt pœna exilij, aut eſt pœna ſenſus: ſed pœna carceris, & pœna captiui-

Digitized by Google

tatis ſunt diſtincta pœnarum genera à pœna exilij, vt ſupra viſum eſt, & patet in iſtis pœnis de quibus tractamus, quæ à ſe ſeparatæ reperiuntur, quia pœna captiuitatis ſub Diabolo incipit cum paruulo in vtero naſcente, quando adhuc non eſt pœna damni, ſeu exilij quæ incipit ſtatim poſt mortē damnati, quando etiā adhuc non eſt pœna carceris totius damnati, ſecundum animā & corpus, de qua hic loquimur, quæ incipit ſtatim poſt iudicium: ergo pœna captiuitatis ſub Diabolo poſt iudicium, & pœna carceris igniti ſunt pœnæ ſenſibiles; ergo ingerunt amaritudinem & moleſtiam ſenſibilem paruulo damnato.

Diluuntur aliqua motiua aduerſæ partis; oſtenditurq́, ex pœnis ſenſibilibus peccati originalis in hac vita, credibile reddi, illud pœnâ ſenſibili in alia vita puniri.

CAPVT SEPTIMVM.

1 VIdetur igitur inconcuſſe tenendū paruulos ſine baptiſmo, ſed in originali decedentes puniri poſt iudicium ex iu-

ex iudicis ordinatione pœnis ſenſibilibus carceris æterni ignis, & captiuitatis ſub Diabolo; pœnis tamen omnium pœnarum quibus detenti in illo carcere plectuntur mitiſſimis. Vt ſcribit Auguſtinus ſuprà cõtra Iul. & in Enchirid. capite 98. & libro primo de peccat. meritis cap.16. Vnde qui hanc ſententiam duram ac aſperam eſſe clamant, caueant, ne Pelagianis occaſionem ac magiſterium præbeant audacius Catholicis opponendi, id quod eis ſemper opponebant, non ſolum durum & aſperũ, ſed & iniuſtum eſſe, aſſerere paruulos, qui nihil boni aut mali voluntate propriâ ante vſum rationis agere poſſunt, naſci cum tam antiquo Adami peccato, & propter illud ſi non baptizentur, quod in eorum poteſtate non eſt, ex Dei iudicio in æternum damnari. Recolantque omnes quibus Dei iudicia, de pœnis iſtorum paruulorum dura videntur, verba illa Auguſtini libro vigeſimo primo ciuit. capite duodecimo: per quæ huius iudicij rationem, quantum ab homine reddi poteſt, reddit, non ſolum

quantum ad durationem pœnarum, de qua ibi præcipue tractatur, ſed etiam quantum ad acerbitatem. *Sed pœna æterna* (inquit) *ideò dura & iniuſta ſenſibus videtur humanis: quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæque ſapientiæ, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima præuaricatione commiſſum ſit: quanto enim magis Deo homo fruebatur, tanto maiore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum. Hinc eſt vniuerſa generis humani maſſa damnata; quoniam qui hoc primitus admiſit, cum ea quæ in illo fuerat radicata, ſuâ ſtirpe, punitus eſt, vt nullus ab hoc iuſto debitoque ſupplicio niſi miſericordiâ & indebitâ gratiâ liberetur; atque ita diſpertiatur genus humanum, vt in quibuſdam demonſtretur, quid valeat miſericors gratia; in cæteris, quid iuſta vindicta.* Hæc S. Auguſtinus.

Nunc propter bonũ opus alienum paruulus bono

2 Et ſane qui credit paruulum glorificari, ac bonum ſenſibile, propter rectè factum alienum, reportare; neſcio cur non facile

etiam

etiam crederet paruulum propter malefa-ctum alienum iuſte torqueri, ac malum ſenſibile reportare; vt colligitur ex Augu-ſtino libro ſexto contra Iulian. cap. quar-to, aliàs decimo, ſequentibus verbis, *Vide ergo quam importune nolis paruulum de alieno peccato reportare malum; & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, ſed Dei regnum. Alienum quippe opus eſt, cum credit per alterum; ſicut alienum opus fuit, cum peccauit in altero.* Vtinam aduer-ſarij qui iſtis paruulis humano affectu, for-te contra veritatem, fauent, hanc Beati Au-guſtini reſponſionem ab initio ponderarēt: quam ſi ſemel recte perpendiſſent, deſiſte-rent excitare eius ſententiæ illam querulam vulgi admirationem; *Quomodo paruulus qui nihil mali in ſe fecit, cruciari poteſt?* De-ſiſterent, inquam: quia ſicut paruulus qui nihil boni in ſe fecit, reportat (nullo Chri-ſtiano contradicente) bonum ſenſibile, æ-ternum ſcilicet gaudium, de alieno facto, credendo videlicet per alterum, quando baptizatur: ita paruulus de alieno facto, peccan-

ſenſibile potitur, ita & propter alterius peccatum, quod originaliter contraxit, ſenſibile malum merito patietur.

peccando videlicet in Adamo, reportat malum ſenſibile, æternum ſcilicet ignis dolorem, æternamque triſtitiam.

3 Non ergo Auguſtinus aut eius diſcipuli ſunt iſtorum paruulorum tortores (vt inſulsè ſatis ab aliquibus eis opponitur) ſed torturæ illis ex diuina iuſtitia debitæ, veri ſecundum Scripturas Sanctas, defenſores; non falſi miſerorum adulatores, aut blandi parentum eorum palpatores. Non ergo recte aſſeritur Auguſtinum noluiſſe determinare an paruuli non baptizati punirentur pœnâ ignis; quia loco ſupra citato contra Iulian. dixit ſe noluiſſe determinare qualis & quanta ſit illorum paruulorum pœna ſiue damnatio. Illud enim apertè determinauit ſermone ſupra citato: hoc autem determinare vt ipſe affirmat in lib. de nat. boni, capite octauo, non ſolum de originali, ſed etiam de actuali peccato, non eſt hominis, ſed Dei: *Qualis autem* (inquit) *& quanta pœna cuique culpæ debeatur, diuinij iudicij eſt, non humani.* Nec inde licet inferre, Auguſtinum non determinaſſe aut deter-

Lib. 5. c. 8. aliàs 11

Digitized by Google

determinare non potuiſſe vtrum actualia peccata, pœna ignis poſt hanc vitã puniantur. Ad fundamenta igitur ſupra dictorum Theologorum, quibus pœnam ſenſibilem à paruulis remouent, reſponderi poteſt. Supra, c. 1.

4 Ad primum, quærendum eſſe ab eis an Diabolus cum ſuis angelis, peccando, in naturalibus fuerint vulnerati, aut læſi; an ſolum gratuitis ac ſupernaturalibus donis ſpoliati? Si poſterius elegerint, quia docere ſolent in dæmonibus poſt peccatum naturalia permanſiſſe, integra; ab eis vlterius quæri poteſt, cur peccatum paruulorum pœna ſenſibili ignis puniri non poſſet, etiamſi nihil naturale, ſed ſolum donum ſupernaturale tolleret; ſicut Diaboli & angelorum eius, peccatum æterno illo igne punietur (quem eis paratum eſſe docet Euangelium) licet peccando ſolis donis ſupernaturalibus ſpoliati fuerint? Sed quicquid ſit de malis angelis, quantum ad læſionem naturæ per peccatum (quod non eſt huius loci inueſtigare) certiſſimum eſt ſecundum Scripturas & Auguſtinum, ho- *Soluuntur argumenta Aduerſariorum.*

L minem

minem per peccatum in naturalibus fuiſſe læſum, & non ſolis donis ſupernaturalibus ſpoliatũ, vt operoſiſſimè alias oſtendimus, & in toto libro de natura & gratia Sanctiſſimus Magiſter contra Pelagium probat: ergo potius verum erit, peccatum originale tollere non ſolum ordinem ſupernaturalem, ſed & naturalem: & ita non ſolum intuliſſe homini nocumentum in ſuper-naturalibus, ſed & in naturalibus. Homo enim peccando ſeipſum ſpoliauit bono naturæ, quod in Adam prius datum fuiſſe definit Aranſ. Can. 22. quodque ab Auguſtino, & alijs antiquis vocatur, *Bonum poſsibilitatis*; & per cuius ſpoliationem natura immutata ac debilitata manet, vt Concilia & Sancti docent, poſt Auguſtinum vbi ſupra capite 19. contra Pelagium, qui dogmatizabat peccatum, quia ſubſtantia carebat, non potuiſſe debilitare, aut immutare naturam, ideoque Adæ poſteros (vt de eodem refert Auguſtinus ibidem cap. 21.) non eſſe ipſo Adamo infirmiores. Ergo iniquum non videtur vt habens originale non ſibi remiſſum,

Peccatum originale vtrumque ordinem naturalem & ſupernaturalem peruertit.

Digitized by Google

ſum, non ſolum puniatur pœna priuationis doni ſupernaturalis; qualis eſt carentia viſionis Diuinæ: ſed & pœna ſenſibili, quæ eius naturam lædat; cum peccando in Adam, non ſolum ordinem ſupernaturalem: ſed etiam naturalem ſuſtulerit.

5 Præterea habitualis iniquitas ſiue reatus peccati, qui in Adam tranſacta actione peccandi, ante remiſſionem manſit, quique ad poſteros eius cum natura transfunditur, non fuit aliud diuerſum peccatum in eo à peccato illo actionis, quod ipſe commiſit tranſgrediendo mandatum Dei, ſed vnum & idem diuerſo modo ſe habens, ſeu *tranſiens actu & manens reatu*, vt colligitur ſæpiſſime ex Auguſtino in libris de nupt. & concup. & de peccato originali, & in libris contra Iulian. & vt à prædictis Theologis admittitur: ſed peccatum actuale Adami ſuſtulit ordinem naturalem, ergo reatus ille qui in eo ante pœnitentiam permanſit, & qui à parentibus per concupiſcentiam ad paruulos *non tranſmigratione de ſubiecto in ſubiectum* (vt recte Auguſtinus lib. 5. con-

Digitized by Google

tra Iulian. cap. 9. *) ſed affectione & contagione pertranſit,* eiſque ante baptiſmum inhæret, tollit in eis ordinem naturalem. Conſequentia euidens videtur. minor probari aperte poteſt ex definitione peccati à præfatis, & ab omnibus alijs Theologis admiſſa: quæ eſt *dictum, factum, vel concupitum aliquid contra æternam legem,* authore Beatiſſimo Magiſtro lib. 22. contra Fauſt. c. 27. vbi ſtatim definit quid ſit æterna lex. *Lex vero æterna* (inquit) *eſt ratio diuina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans:* quam doctrinam latè proſequitur ibidem cap. 28. 29. 30. & cap. 78. vbi docet peccantem quantum in ipſo eſt perturbare in ſe ordinem naturalē, quem lex æterna conſeruari iubet: & lib. 26. contra Fauſt. cap. 3. *Sed nec ipſe homo contra naturam quicquam facit, niſi cum peccat, qui tamen ſupplicio redigitur ad naturam; ad naturalem quippe iuſtitiæ ordinem pertinet, vt aut peccata non fiant, aut impunita eſſe non valeant: quodlibet horum fit, naturalis ordo ſeruatur, ſi non ab homine certe à Deo:*

Peccati definitio.

Lex æterna quid ſit.

Digitized by Google

à Deo: igitur ſi Adam tranſgrediẽdo mandatum Dei in paradiſo non turbauit in ſe hunc ordinem naturalẽ legis æternæ, non vere peccauit: vel ſi eum ſua tranſgreſſione, quantum in ipſo erat, ſuſtulit, erit ſimiliter in paruulis ſublatus, ſeu turbatus, quia in eis ante baptiſmum eſt illud Adami peccatum: vel ſi in eis non dicetur ordo ille ſublatus, peccatum Adæ per quod ille ordo turbatus fuerat, ad eius poſteros tranſitum non fecit, vt Pelagius dogmatizabat.

6 Ad ſecundum reſpõderi poteſt dicendo, ſi iuſtus Iudex ſecundum nullum ſenſum punire poteſt paruulum in peccato originali decedentem; quia ſecundum nullum ſenſum peccauit: minus poſſe Angelos beatos, qui nunquam peccauerunt, quique faciem patris eius ſemper vident, ad pœnas æternas inferni, ratione abſoluti Dominij quod in eos habet, detrudere, vt iſti Theologi ipſum poſſe defendũt; Sed hoc in aliud tempus dilato, potius aliter inſtatur. Si paruuli illi à iuſto Iudico ſecundum nullũ ſenſum puniri poſſunt, quia ſecundum nul- *Secundum argumentum diluitur.*

 lum

lum ſenſum peccauerunt peccato propriæ actionis; ergo non potuit illis Deus mortẽ corporalem inferre in pœnam peccati originalis: illa enim mors, in ſeparatione animæ à corpore *habet aſperum ſenſum, & cum graui ſenſu adimit ſenſum*; vt recte Auguſt. libro decimo tertio ciuit. cap. ſexto: ergo falſa erunt dicta Sanctarum Scripturarum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, qui-
Rom. 8. 10. bus definiunt, *corpus eſſe mortuum propter*
5. 12. *peccatum*; *per vnum hominem peccatum in mundum intraſſe, & mortem per illud peccatum in omnes pertranſijſſe*; *mortem pœnam eſſe peccati originalis*: ſed quia iſta eſſe falſa ſine blaſphema impietate concedi non poteſt, reſtat vt fateamur prædictos paruulos in hac vita ſecundum ſenſum grauiter puniri in pœnam originalis: vnde potius colligimus non debere videri abſurdum aut iniquum, ſi etiam in alia vita reſumptis corporibus, in ſenſibus ſimiliter, propter ſolum originale puniantur: licet non tam atrociter & intensè in illa futura vita poſt iudicium, cuius menſura erit æternitas,
quàm

Digitized by Google

quàm quando hic tranſitorie mortem acerbam, vel alias graues pœnas patiuntur; ſed multo mitius & lenius punientur. Vnde non dubitat Auguſtinus, locis vbi ſupra, aſſerere illos futuros in leuiſſima omnium damnatione, quæ tamen damnatio, quia æterna erit, intolerabilior eis erit quacumque pœna tranſitoria, quam hîc homines pati nouimus, etiamſi gladio trucidarentur aut igne conſumerentnr. Quis enim non mallet tali ſuppliciorum genere tranſitoriè interfici, quam pœna quantumque leui ſempiternè moleſtari?

Oſtenditur manifeſte Commentarium in Epiſtolam ad Romanos, qui Beato Ambroſio tribuitur, non eſſe ipſius, ſed alicuius Pelagiani: erroreſque illius Commentarij de poßibilitate naturæ, & de gratia Chriſti, notantur.

Caput Octavum.

1 AD authoritatem illam quæ ſub nomine Ambroſij à quibuſdam pro ſe citari ſolet, dicendum illum Cōmentarium *Commentarius qui ſub nomine Ambroſij circumfertur in*

epiſt. Paul. ad Rom eius non eſſe, ſed alicuius Pelagiani probatur.

tarium in Epiſtolam ad Rom. nullo modo eſſe Sancti Ambroſij, ſed alicuius peruerſiſſimi Pelagiani, qui (licet aliquando à Pelagianiſtis differat, vt incautis retia tendat) venenata hæreſeos Pelagianæ ſemina, nunc aperte, nunc occulte, per vniuerſam illam expoſitionem ſpargit: vt mirum ſit eum Commentarium à Scriptoribus Catholicis Sapientiſſimo Eccleſiæ Doctori Beatiſſimo Ambroſio, paſſim tribui; & ex eo in profundiſſimis quæſtionibus de prædeſtinatione & gratia, quas Pelagiani impugnabant, teſtimonia ad eadem Myſteria prædeſtinationis & gratiæ explicanda, velut oracula citari; cum omnia fere loca Pauli vnde Sanctus Auguſtinus eiuſque veri diſcipuli Proſper, & Fulgentius Myſteria illa confirmant, in eodem Commentario ad alios ſenſus, intentionem Auguſtini eludentes, & Pelagianorum dogmati fauentes, detorqueantur; vt conferenti expoſitionem prædictorum locorum in Auguſtino, eorumque deniq; interpretationem in illo Commentario, facile patebit. Si quis autem

quæ

Digitized by Google

quæ, vel vbi iſta ſint ſemina ſcire deſiderat; legat eundem Commentarium ſuper caput ſecundum; vbi hæc verba ſcribuntur, *Credens gentilis duce natura in Chriſtum, condemnat Iudæum, cui lex promiſerat Chriſtũ, & aduenienti ei credere noluit. Quanto ergo gentilis dignus eſt gloria, qui per ſolam naturam intellexit authorem? Sicut dixit Petrus Apoſtolus, Authorem verò vitæ interfeciſtis.* Eandem doctrinam latè explicat ſuper caput 5. §. *Quia lex naturalis.* vbi docet hominem poſſe agere vitam piam ab initio vſque in finem, ſecundum veram & Chriſtianam prudentiam ex lege naturæ. Idem habet eodem capite. §. *In quos autem regnauit mors.* & §. *Igitur qui ante legem ſeruauit hoc natura duce.* & §. *Quia ipſi naturæ quodammodo inſerta ſunt ſemina.* & ſuper cap. 6. §. *Per naturam enim inducti.* & ſuper cap. 10. *Quamuis enim oculis.* & ſuper cap. 11. §. *Quia natura ipſa duce.* Hanc doctrinam fuiſſe inter Pelagianos celeberrimam, ex innumeris Beati Auguſtini locis colligi poteſt, primo ex libro de peccato originali

Auguſt. libr. de peccat. origin. c. 26.

cap. 26. *Non igitur ſicut Pelagius & eius diſcipuli tempora diuidamus, dicentes primum vixiſſe iuſtos homines ex natura, deinde ſub lege, tertio ſub gratia. Ex natura ſcilicet, ab Adam, tam longa ætate; qua lex nondum erat data. Tunc enim (aiunt) duce ratione cognoſcebatur Creator, & quemadmodum eſſet viuendum ſcriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, ſed naturæ. (Verum vitiatis moribus, inquiunt, vbi cœpit non ſufficere natura iam decolor, lex ei addita eſt, qua velut lima fulgori priſtino, detrita rubigine, redderetur. Sed poſtea quam nimia, ſicut diſputant, peccandi conſuetudo præualuit, cui ſanandæ lex parum valeret; Chriſtus aduenit, & tamquam morbo deſperatiſsimo non per diſcupulos, ſed per ſeipſum medicus ipſe ſubuenit.*

Doctrinã huiuſce Commentarij latè refutat Auguſt. & Concil. Arauſic.

2 Eandem doctrinam Pelagianorum de naturæ firmitate ad operandum ex ſe iuſtitiam, refert & refutat Auguſtinus toto libro de natura & gratia, & in libro de gratia Chriſti, & in libris contra Iulianum, præcipue libro ſexto, cap. duodecimo, aliàs 24. & contra duas Epiſt. Pelagian. lib. 1. cap. 21.

In

In quibus locis euidẽter probat ex Sanctis Scripturis, euacuari per hanc doctrinam ſcandalum crucis; hoc eſt ex ea ſequi Chriſtum gratis eſſe mortuum. Hocque idem poſt Auguſtinum canonizat Conc. Arauſ. can. 21. definiens *Chriſtum gratis eſſe mortuum, ſi ex natura eſſet iuſtitia.*

3 Sed relicto hoc errore, ex quo liquidiſſime conſtat eumdem Commentariũ cum Pelagianis conuenire; obſeruandum eſt ipſum ſemper explicare gratiam Chriſti per remiſſionem peccatorũ, aut per doctrinam & exemplum Chriſti; vt patet ſuper caput tertium. §. *Quamobrem.* & ſuper caput quintum. §. *Manifeſtum eſt per Chriſtũ.* & ſuper caput ſextum. §. *Hoc eſt numquid.* & ſuper caput octauũ. §. *tertio damnat peccatum.* & §. *Ita ſi nos.* & ſuper caput nonum. §. *Hoc ſemen.* & ſuper caput 11. §. *Verum eſt, quia merces.* Pelagianos gratiam propriam Chriſti (ſine qua nihil ad colendum recte verum Deum poteſt fieri, & quæ totum id donat) poſuiſſe in remiſſione peccatorum, aut in lege, ſiue doctrina & exemplo Chri-

ſti; patet ex Auguſt. in libro de gratia Chriſti cap. 1. 35. 37. 38. 39. 40. & 41. & Epiſtola 95. & ſæpiſſimè aliàs: quod ijſdem locis ab Auguſtino improbatur ex orationibus Eccleſiæ, præcipuè ex Oratione Dominica, in qua fideles inſtanter petentes à Deo gratiam ad ſuperandas tentationes (quæ in hac mortalitate non deſunt) quando dicunt, *Et ne nos inducas in tentationem*; non orant remiſſionem peccatorum, quæ quotidie admittunt, quia hoc ſuperius in eadē Oratione petunt, dicendo, *Dimitte nobis debita noſtra.* Nec doctrinam, aut exemplū Chriſti (quod ad doctrinam reducitur vt ſcribit Auguſtinus de gratia Chriſti capite trigeſimo quinto, & quadrageſimo primo) petunt. Quia vt ex eodem Magiſtro colligitur Epiſtola 107. hoc falſo affirmaretur. *Non ergo* (inquit) *gratiam dicamus eſſe doctrinam; ſed agnoſcamus gratiam: quæ facit prodeſſe doctrinam: quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam*: quia vt ſæpè idem Doctor ex Apoſtolo notat, *Lex iram operatur: & lex tranſgreſſionis gratia poſita eſt*;

Auguſt. Ep. 107.
Vltra externam doctrinam alia eſt interna gratia neceſſariò admittenda quæ voluntatem agat.
Ro. 4. 15.
Galat. 3. 19.
5. 4.

eſt; & , ſi in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis: ſi ex lege iuſtitia, ergo Christus gratis mortuus eſt. Quibus teſtimonijs conuincitur falſitas Pelagianorum aſſerentium gratiam propriam Chriſti (quæ opera pia donat) conſiſtere in lege, ſiue doctrina, ſiue exemplo. 1. fin.

4 Et dubio procul, ſicut impoſſibile erat hominem ex peccato Adami languidum & infirmum, operari aliquod opus iuſtitiæ cum ſolo adiutorio legis Moyſi, ſine Spiritu gratiæ victricis; aliàs liberum arbitrium ex peccato primi hominis non eſſet infirmatũ (vt rectè in ſimili infert Arauſ. Conc. Canone octauo) ſic impoſſibile eſt hominem poſt peccatum operari aliquod opus iuſtitiæ cum ſola doctrina Euangelica, aut cum ſolo exemplo conuerſationis Dominicæ, ſine auxilio gratiæ actualis victricis, ſiue gratiæ opus donantis. Quod mirabiliter expendit ille ſapientiſſimus mortalium libro decimo quinto ciuit. Dei cap. ſexto. *Spiritus autem Sanctus operatur* (inquit) *intrinſecus, vt valeat aliquid medicina quæ*

adhibetur extrinſecus: alioquin, etiamſi Deus ipſe utens creatura ſibi ſubdita in aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos, ſiue iſtos corporis, ſiue illos, quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis; nec interiori gratia mentem regat atque agat: nihil prodeſt homini omnis prædicatio veritatis. Gratia autem quæ voluntatem agit, vt conſentiat, tantum diſtat à lege promittente, imò & à quocunq; alio auxilio, ſiue interno, ſiue externo ſolùm inuitante, exhortante, comminante, aut terrente, vt de ea non dubitet Auguſt. affirmare lib. de geſt. Pelag. cap. 3. *Qui enim agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur.* Non dicit, *vix agit*, *ſed, vix agere aliquid intelligitur.* Vbi minimè vult hominem ex gratia operantem nihil agere, vt patet ex ſerm. 6. de verb. Apoſt. vbi ait, *Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, imo & agis; & tunc bene agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor eſt: ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcis, agnoſce quid confiteris, quando dicis, Adiutor meus*

Gratia Dei agimur, & cum ipſa agimus.

meus eſto, ne derelinquas me; adiutorem vtique inuocas Deum. Nemo adiuuatur, ſi ab illo nihil agatur. Et in lib. de corrept. & gra. cap. 2. *Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant.*

5 Sed ſupradicta expoſitione gratiæ propriæ Chriſti omiſſa, in qua iſte Commentarius cum Pelagianis conuenit, admonendum eſt, ipſum alio etiam modo penitus euacuare gratiam Chriſti; vt patet ſuper caput nonum ad Rom. §. *Ex perſona contradicentis.* & §. *Ita & Deus.* & §. *Qui omnes ſaluos vult, manente iuſtitia.* In quibus locis manifeſte ponit meritum ante gratiam (& conſequenter eam deſtruit; *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia*) quia negat Deum alicui gratioſum eſſe, aut ei miſereri, niſi præcedat in eo, cui miſeretur aliqua iuſtitia: æquâ enim lance pendit operationem Dei, ſiue miſerentis, ſiue indurantis; vt ſicut ad indurationem neceſſe eſt: præcedat meritum indurati; ſic & ad miſericordiam, etiam eam, qua quis ad fidem vocatur, neceſſe eſt antecedat

Commentarius prædictus gratiam euacuat.

Rom. 11 6.

Digitized by Google

recedat aliquod meritum , ſaltem bonæ cogitationis , eius cuius Deus miſeretur : vt patet ex illa eius definitione de
Rom. cap.8. vocatione , ſuper illa verba *Quos prædeſtinauit , hos & vocauit. Vocare* (inquit) *eſt cogitantem de fide adiuuare, aut compungere eum quem ſciat audire.* Sed ipſum vlterius audiamus in ſupradicto paragrapho
Rom.9. 18. ſuper illa verba, *Igitur cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Ex perſona contradicentis* (inquit) *loquitur , non quaſi putet Deum neglecta iuſtitia alicui gratioſum, vt vnum è paribus accipiat ; alterum reſpuat; hoc eſt, vnum compungat vt credat, alterum induret ne credat.*

6 Et prædictam ſuam intentionem contra gratiam Dei ſtabiliendo , & comparationem illam figuli ab Apoſtolo adductam, Deo adaptando , ſic paulo inferius concludit: *Ita & Deus cum omnes ex vna & eadem maſſa ſumus in ſubſtantia, & cuncti peccatores; alij miſeretur, & alterum deſpicit, non ſine iuſtitia. In figulo enim ſola voluntas eſt; in Deo, voluntas cum iuſtitia. Scit enim*

cuius

cuius debeat miſereri. Hæc ſunt huius Commentarij verba; quæ commodius in ſequenti capite examinabuntur.

Declaratur quomodo prædictus Commentarius prædeſtinationem Diuinam deſtruat, eam ad ſolam præſcientiam reducendo; atque adeò ſcandalum Crucis euacuando.

Capvt Nonvm.

1 IN iſtis igitur Pelagianis principijs, iſtorum author Commentariorum fundatus, explicat conſequenter ad ſuum ſenſum ea, quæ adducit Apoſtolus ad profundiſſimum Diuinæ prædeſtinationis Myſterium, mundo prædicandum; de Dei præſcientia; ad eam omnia reducens vſque ad ipſam præparationem: quam ſic definit ibidem, *Præparare autem vnumquemque, eſt* In cap. 9. verſ. 29. *præſcire quid futurum ſit.* Vt ſecundum ipſum nihil ſit prædeſtinare, quam, eos qui omnem gratiam, & miſericordiam etiam vocationis ad fidem, benè operando præueniunt, præſcire Deum quid à ſe futuri

 ſunt.

ſunt. *Scit enim Deus* (inquit, vbi ſupra) *cui debeat miſereri; & nulli neglectâ iuſtitiâ gratioſius eſt, vt vnum è duobus paribus accipiat, alterum reſpuat.* Ergo, ſi ſcit Deus cui debeat miſereri, vt nulli gratioſus ſit, neglecta iuſtitia, ſeu ſine iuſtitia; tota eius miſericordia & gratia erit ex iuſtitiæ debito: ergo tota illa, quæ dicitur eſſe eius gratia; non erit vera gratia: id enim quod ex iuſtitia boni operis, ſeu voluntatis gratiam præuenientis, debetur, nullo modo gratia
Rom. 4. 4. Chriſti eſſe poteſt (*Ei enim qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed*
11. 35. *ſecundum debitum.* Et, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* nec conſequenter miſericordia: quia hæc nunquam merito quod miſericordia, aut gratia non eſt, datur; vt recte Auguſtinus de gratia & libero arbitrio capite nono. Si igitur vera miſericordia eſt; gratuita eſſe debet: Deus ergo (qui ſecundum hunc Commentarium, ſemper ſeruat æqualem iuſtitiam, tam in miſerãdo, quàm in reſpuendo aut deſpiciendo; quia miſeretur eius, cuius præſcius eſt, quod miſericordiam

cordiam ei ex iuſtitia daturus eſt; ſicut iuſte indurat eum, cuius præſcius eſt, quod bene operaturus, vel reuerſurus ex iniquitate, non ſit) nullum verè prædeſtinat; quod aſſerere blaſphemium eſſet: eos enim homines tantum Deus prædeſtinat, teſte Auguſtino de prædeſtinatione Sanctorum, capite nono, qui ipſo donante ſumpturi ſunt fidem; quales eſſe nō poſſunt: ij quibus nulla gratia, aut miſericordia datur, niſi ex iuſtitia; quia eorum fides & opera, Dei dona eſſe non poſſunt, cum nullam à Deo recipiant veram, ſeu gratuitam gratiam, aut miſericordiam, quæ ſola, fidem aut opera bona donat; ſed gratiam aut miſericordiam, quæ debita affirmatur, quia ex iuſtitia redditur, non donatur. *Sub fin.*

2 Deus ergo eos, qui ſic prædeſtinati vocantur, tantum præſcit non prædeſtinat; vt viſum eſt, & patet ex illo Auguſtini, vbi ſupra de prædeſtinatione Sanctorum. *Sed vtrum* (ait) *prædicato ſibi Chriſto, à ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi; id eſt vtrum eos tantummodo præſcierit,* *an*

Qui prædeſtinationem ad ſolam præſcientiam operum voluntatis cũ Pelagianus reducit, illã prorſus euacuat iuxta Auguſtinum.

an etiam prædeſtinarit Deus, &c. In nullo igitur à Pelagianis, de ſententia prædeſtinationis, iſte Commentarius differt, qui veram gratiam & miſericordiam deſtruit; vnde prædeſtinati vaſa miſericordiæ ab Apoſtolo vocantur; quique prædeſtinationem in præſcientia tantum ponit, vt Pelagiani ponebant. Sicut ex Auguſt. capite decimo octauo de prædeſtinatione Sanctorum, his verbis, patet. *Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent Sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideò eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſciuit, elegit. Elegit ergo inquit, antequã eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros Sanctos, immaculatoſque præſciuit, vtique ipſe, non fecit; nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe, præuidit.* Ecce quã familiare fuit Pelagianis ſic prædeſtinationem explicare, vt nihil aliud eſſet quam præſcientia bonorum operum, quæ homo ex ſe habiturus eſſet, non Deo donante ſumpturus: quos in hoc iſte Commentarius ſequitur.

Rom. 9. 23.

3 Dici

Digitized by Google

3 Dici poſſet hunc Commentarium in hoc à Pelagianis differre, quod requirat gratiam & miſericordam Dei, quamuis conatum hominis ſubſequētes; ſine quibus opera pia non fiant; atque adeò ipſum non affirmare Deum non facere illa opera, ſed liberum arbitrium, vt Pelagiani affirmabāt; imò contrarium potius affimare; cum ea ſine miſericordia Dei non fieri, docet. *Commentarius iſte ab errore illo liberari contēditur.*

4 Sed ad hoc reſponderi poteſt, hominem ex ſe habiturum, non Deo donante ſumpturum, opera, quæ fiunt à libero arbitrio ſine vera, hoc eſt gratuita, gratia; quāuis dicerentur non fieri ſine auxilio, quod eis deſuper deberetur: vt patet ex Pelagianis, qui vbique ab Eccleſia iudicati, & conuicti ſunt poſuiſſe opera pia in libero arbitrio, & quod ex ſeipſo homo illa haberet; quamuis ad eadem opera facienda gratiam Dei (quæ gratuita non eſſe conuinceretur: quia hominis conatum præſupponere diceretur) requirebant. Quod patet ex verbis Pelagianorum apud Auguſtinum libro ſecundo ad Bonifacium capite nono, aliàs *Euacuatur iſthæc excuſatio.*

 decimo.

Digitized by Google

decimo. *Quid eſt ergo quod in conſequentibus, vbi ea quæ ipſi ſentiunt, commemorant, dicunt ſe confiteri, gratiam quoque adiuuare vniuſcuiuſque bonum propoſitum; non tamen reluctanti ſtudium virtutis immittere?* Ad idem citari poſſunt illa Iuliani verba, apud Auguſtinum libro primo ad Bonifacium capite 18. & 19. *Hominem in bono opere à Dei gratia ſemper adiuuari defendimus.* Cui ibidem opponit Auguſtinus, *Vos autem in bono opere ſic putatis hominem adiuuari gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipſum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari. Quod ſatis ipſa tua verba declarant. Cur enim non dixiſti hominem Dei gratia in bonum excitari; ſicut dixiſti, in malum Diaboli ſuggeſtionibus incitari? Sed dixiſti in bono opere à Dei gratia ſemper adiuuari; tamquã pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita; ac ſic gratia, iam non ſit gratia.*

Auguſt. lib. 1. ad Bonifac.

5 Conuincitur igitur, hunc Commentarium docere hominem ex ſe habere opera pia; licet ad ea requirat gratiam, ipſa opera ſeu

Digitized by Google

ſeu ville ſubſequentem; talis enim gratia, vera gratia eſſe non poteſt, quia, vt benè Auguſtinus de peccato Originali capite vigeſimo quarto; *etiam antiquorum iuſtorum corda eàdem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum Sanctum, qui vbi vult ſpirat; non merita ſequens, ſed etiam ipſa merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit vllo modo niſi gratuita fuerit omni modo.* *Gratia non ſequitur meritum nudæ voluntatis.*

6 Dicetur adhuc hunc Commentarium non euacuare veram gratiam, quamuis doceat voluntatem humanam, eam præuenire; quia non docet actum voluntatis gratiam præuenientis, eſſe meritum gratiæ, vt Pelagiani dicebant teſte Auguſtino in verbis iam citatis. Sed contra hoc eſt quod ille Commentarius aperte affirmat *Deum nemini ſe exhibere gratioſum, neglecta iuſtitia*; &, *eum ſcire, cui debeat miſereri.* Ergo ſi gratia aut miſericordia eſt debita, & datur ſemper ex iuſtitia; ideò erit, quia meritum hominis ſupponit. *Alius modus excuſandi prædictum Commentarium euacuatur.*

7 Et verè, quomodocumque hic Commenta-

Si voluntas in aliquo pio opere gratiam antecederet, illa gratiam mereretur.

mentarius voluntatem hominis in aliquo cõnatu vel opere pio gratiam actualẽ Dei antecedere dicat; cauere debet ne ipſam Dei gratiam euacuare forte conuincatur; quia non erit, vt videtur, gratuita aut donata; ſed retributa: iuxta illud inuictiſſimum Apoſtoli, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ad quod teſtimonium Apoſtolicum reſpiciens Auguſtinus libro primo retract. capite nono; *Voluntas ergo* (ait) *ipſa, niſi Dei gratia liberetur à ſeruitute, qua facta eſt ſerua peccati; & vt vitia ſaperet adiuuetur; rectè piéque viui à mortalibus non poteſt: & hoc diuinum beneficium, quo liberatur, niſi eam præueniret; iam meritis eius daretur, & non eſſet gratia; quæ vtique gratis datur.* Et libro quarto contra Iulianum, capite tertio. *Non tamen, vt eius bona voluntas poſſit præcedere præter gratiam; ne vel ipſam prior det, vt retribuatur ei, ac ſic gratia iam non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita.* Et libro ſecundo ad Bonifacium, capite octauo. *Si ſine gratia Dei per nos incipit cupiditas boni: ipſum cœptum*

Rom. 11 fin.

Auguſt. lib. 1. retra.

Paulo poſt init.

ptum erit meritum, cui, tanquam ex debito, gratiæ veniat adiutorium; ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum dabitur.

8 Hæc tria teſtimonia clarè demonſtrāt, Auguſtinum firmiter ſentire voluntatem fore gratiæ meritum, ſi ea admittatur in aliquo conatu, vel opere pio, ipſam gratiam Dei antecedere. Conſtat igitur hunc Commentarium, quamuis gratiam & miſericordiam requirat poſt conatum voluntatis ad bene operandum; ponere forte ipſa pia opera in ipſa hominis voluntate, vt ea ex ſe habeat, & non à Deo donata ſint; atq; adeò forſan reducere cum Pelagianis totam prædeſtinationem ad ſolam præſcientiam; &, ſi ita eſt, docere conſequenter, velit nolit, nullum opus pium hominis, eſſe donū Dei: & ita tandem ſcandalum Crucis euacuare. Quia vt rectè Arauſ. Canon. vigeſimo primo, poſt Auguſtinum. *Si ex natura iuſtitia: Chriſtus gratis mortuus eſt.* Concil. Arauſ.

9 Contra hanc ergo doctrinam, quæ prædeſtinationem, ſolam præſcientiam facit;

Prædeſtinatio non eſt ſola præſcientia.

cit; audienda ſunt Beatiſſimi Auguſtini duo cœleſtia Oracula, quæ pectoribus Chriſtianis ſemper firmiter inhærere debent; Primum, ex Tractatu 86. in Ioannem: *Hic certe vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt, contra gratiam Dei; & ideò dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſciuit nos Deus futuros bonos, non ſeipſum nos facturum bonos. Non hoc dicit, qui dicit, Non vos me elegiſtis; quoniam ſi propterea nos elegiſſet, quia bonos futuros nos eſſe præſciuerat, ſimul præſciſſet, quòd eum nos fuiſſemus prius electuri. Non enim electi ſunt quia boni fuerunt, qui boni non eſſent, niſi electi eſſent; alioquin gratia iam non eſt gratia.* Secundum Oraculum eſt in libro de prædeſtinatione Sanctorum, capite decimo octauo: *Intueamur ergo* (ait) *verba Apoſtoli, atque videamus vtrum nos propterea elegerit ante mundi conſtitutionem, quia ſancti & immaculati futuri eramus, an vt eſſemus? Benedictus, inquit, Deus & Pater Domini noſtri* IESV *Chriſti, qui nos benedixit in omni benedictione in*

Auguſt. tract. 86. in Ioan. circa medium.

Auguſtinus.

Ephe. 1. 3.

Digitized by Google

ne in cœleſtibus, in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati: non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans vt tales per gratiam eius eſſemus.

10 Exploſo igitur iſto huius Commentarij ſenſu de Diuina prædeſtinatione (quæ ſemper euacuatur, & ad ſolam præſcientiã reducitur, vt alibi latius; ſiue gratia voluntatem ſubſequi, ſiue etiam antecedere dicatur, niſi ſit illa gratia per quam diffunditur Charitas in cordibus noſtris, quæ filios promiſſionis facit, ac conſequenter pia opera donat; & quam Beatiſſimus Auguſt. affirmat: *Pelagium ſicut confitenda eſt, numquam confeſſum fuiſſe*; quæque ab aliquibus qui tomos de ea altercantes implent, plus forte implicatur, quàm ſecundum mentem Auguſtini explicatur) ad alium eiuſdem Commentarij ſenſum Pelagianiſticum detegendum tranſeamus. De gratia Chriſti, c. 30.

Oſtenditur illum Commentarium euacuare peccatum originale.

CAPVT DECIMVM.

Id.m Commentarius videtur deſtruere peccatum originis.

1 AVthor igitur illius Commentarij quamuis admittat cum quibuſdam Pelagianis quorum meminit, Beatus Auguſtinus libro 4. ad Bonifac. cap. 4. per Adam mortē corporalem ad nos tranſijſſe: explicat tamen illud Apoſtolicum teſtimonium: *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum* (quod Auguſt. lib. primo de pecc. mer. cap. 4. 5. 6. 7. ſcribit eſſe euidentiſſimum ad probandum mortem corporalem propter peccatum fuiſſe inflictam) de ſola morte ſpirituali hominis; vt forte faueat callidè ſenſui aliorum Pelagianorũ, qui ſimilia Scripturæ loca de morte ſolius animæ interpretabantur: vt colligitur ex eodē Auguſt. l. 1. de peccatorum meritis c. 2. quia apertè dogmatizabant Adam ſic creatum fuiſſe, vt etiam ſine peccati merito more-

Rom. 8. 10.

Digitized by Google

moreretur, non pœnâ culpæ, ſed neceſſitate naturæ.

2 Sed ſi quis forte prædicti authoris intentionem in hoc excuſare tentauerit; fateor mihi eam, ſuperiora conſideranti, eſſe nimis ſuſpectam, præterquàm quod peccatum originale tollere videatur. Nam quamquam ſupra cap. 5. ad Roman. dicat: *Manifeſtum eſſe in Adam omnes peccaſſe quaſi in maſſa:* Subijciens ſtatim: *Ipſe enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati ſunt ſub peccato. Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipſo ſumus omnes.* Et iterum ſuper illa verba eiuſdẽ capitis. *Non ſicut per vnum peccatum*, ſubdit, *vt cum delicto Adæ multi tenentur à morte ſecunda in inferno inferiori.* Quamquam (inquam) iſta ſcribat, quæ videntur Apoſtolo congruere, quæque per ſe ſumpta, ſine ſcrupulo accipi poſſent catholicè dicta: peccatum tamen quod ex Adam trahimus, ſic deinde ſuper cap. 7. explicat, vt nihil aliud per illud intelligere videatur, quàm corruptionem ſolius carnis, ſiue peccatum in

membris habitans, animâ vniuſcuiuſque ab omni vitio manente illæsâ; niſi quando ipſa peccat, peccato proprio, legi carnis conſentiendo. *Propterea,* (inquit) *quia ipſa caro, & non anima ex traduce eſt, & ex origine carnis peccati.* Explicatque ibidem ſuper cap. 7. eſſe ſub peccato, nihil aliud eſſe, quàm originem trahere ex Adam, qui prior peccauit, & proprio delicto ſubiectum fieri
Cap. 5. peccato: negatq; ſuper illa verba. *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationē:* illam condemnationem eſſe vniuerſalem, *quia ij ſolùm* (inquit) *ex vno Adæ peccato condemnantur, qui in ſimilitudine præuaricationis eius peccauerunt.* Conſequens igitur eſt, hunc Commentarium liberos facere infantes, qui ſine baptiſmo ex hac vita decedunt à damnatione, quam omnes homines Scriptura incurrere affirmat ex peccato Adami. Ipſi enim non peccant in ſimilitudine præuaricationis Adæ: ſoli enim Adulti ſic peccant, vt clarè ex Apoſtolo & Auguſt. ibidem colligitur.

3 Egregius ergo Doctor tot Pelagianiſ-

morum

Digitized by Google

Idem Commentarius nullius eſſe author itatis oſtenditur.

morum adſtipulator, ab iſtis Theologis citatur ad ſuam ſententiam confirmandam, & ad Beati Auguſt. doctrinam infirmandam de damnatione peccato originali debita; quam Pelagiani non minus quàm ipſum originale peccatũ reſpuebant. Quid igitur quæſo præiudicij doctrinæ S. Auguſtini afferre poteſt, ſi Pelagianus ille dicat propter peccatum Adæ, paruulos gehennam non mereri? aut ſi Pelagiani hominis authoritas contra doctrinam beati Auguſt. valere putatur; vera Chriſti Domini gratia deſtruatur; ac conſequenter Chriſtum gratis eſſe mortuum dicatur; Sanctorum prædeſtinatio ad ſolam præſcientiam reducatur; non ſolùm gehenna, ſed nulla damnatio propter peccatum originale admittatur; atque tandem ipſum originale tamquam fabula irrideatur, & Pelagiana hæreſis in ſuum thronum reponatur? Sed abſit tam extrema dementia à cordibus Chriſtianis, à filijs promiſſionis, à vaſis miſericordiæ, ab eis qui columnæ & firmamento veritatis fortiter inhærent, vt non

circum-

Digitized by Google

circumferātur omni vento doctrinæ. Quid igitur reſtat, niſi vt illud teſtimonium ſub nomine Ambroſij citatum,& Commentarium illum Pelagianiſticum, vnde idem teſtimonium depromitur, in poſterum ſpernamus,& à Beatiſſimo Ambroſio ſuſpicionem Pelagianæ hæreſis propulſemus; qui ex hoc ſæculo teſte Beatiſſimo Auguſtino lib. 1. contra Iulian. cap. 4. antequàm Pelagiani ebullirent, exiuit?

4 Sed hic non eſt omittendũ admonere, ſi hoc teſtimonium in quo aſſeritur gehennam peccato Adæ non deberi, Sancti Ambroſij eſſe recte probaretur; vt inde colligeretur, infantes cum ſolo illo peccato morientes, eſſe liberos à pœna ignis, ſeu ſenſus (vt Theologi qui hoc teſtimonium citant, contendunt) parùm aut nihil contra nos vrgere, ipſoſque non diſſimili argumento conuinci poſſe, ad ponendum in prædictis paruulis pœnam ignis: quia ipſorum primarij Magiſtri (vt infra probabimus) apertè docent, peccato in naſcentibus ex Adam contracto, gehennam deberi. Omittant

igitur

igitur in poſterum nobis opponere illam authoritatem, cuiuſcumque authoris ſit; ne eis contrà opponamus authoritatem ſui Magiſtri, & conſequenter ſuam; vndè ipſorum ora obſtruemus. Excogitabunt enim (quia vinci nunquam fortè patientur) aliquas de gehenna interpretationes (ad ſaluandum ſuam doctrinam, ſaltem ſtrepitu verborum, ab aperta inconſtantia) quæ non minus nobis contra ipſos, quàm ipſis contra nos deſeruient.

5 Vt tamen prædictum, quod Ambroſio probauimus ſupponi teſtimonium, à Theologis illis celebratum; non tantùm ex ſola authoris infamatione, aut ex alijs eius aſſertionibus erroneis ſolùmmodo ſuſpectũ putetur; examinandum eſt, an ſententia ipſius ſapiat Pelagianiſmum: vel ſaltem ei faueat; cum dicat. *Mors autem diſſolutio corporis eſt, cum anima à corpore ſeparatur; eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur, in gehenna: quam non peccato Adæ patimur; ſed eius occaſione proprijs peccatis acquiritur.* In quibus verbis vigilantiſſimè cauendæ ſunt inſidiæ huius

Cauendus in iſto Cõmentario latens error Pelagianus

huius Commentarij, ne latibulum præbere in hoc teſtimonio permittatur dogmati Pelagianiſtarum de peccato originali; quia tam non explicat, ſed implicat illis verbis, vt potiùs horrendæ obſcuritati ſtudere videatur, quâ ſe tegat, ne error in eo facile deprehendatur, & ſimul ambiguitati, vt omnia ſaluo Pelagiano dogmate exponere poſſet. Quid eſt enim, homines non pati mortem ſecundam gehennæ, peccato Adæ, ſed ex eius occaſione proprijs peccatis illam acquirere; niſi id quod poſtea in expoſitione eiuſdem capitis dicit? *Condemnationem,* ſcilicet, *ex peccato Adæ ſecutum, non eſſe generalem, neque omnes comprehendere, ſed eos tantùm vno Adæ peccato condemnatos eſſe, & à morte ſecunda teneri in inferno inferiori, qui in ſimilitudine præuaricationis Adæ peccauerunt.*

6 Nullam igitur agnoſcit damnationem ex vno Adæ peccato in aliquo, niſi in eo, qui peccat, peccato proprio. Dicit igitur homines proprijs ſolùm peccatis eſſe damnatos; additque *ex vno Adæ peccato, ſeu eius*

occa-

occaſione; tum fortè, quia Adam prius peccando, exemplum poſteris dedit, tum certe (vt aperte explicat ſuper cap. 7.) *Quia ex Adam, qui prior peccauit, originem trahimus, ſubiecti proprijs peccatis, quia corpus habemus concupiſcentiâ, qua ad peccatum ſtimulat, corruptum, ex vitio animæ Adæ; ex quo priùs corpus proprium Adæ corruptum fuit; vnde corpora noſtra, quæ per originem ex traduce illius corporis deſcendunt, corrumpuntur, concupiſcentiam vt dictum eſt, trahentia; ad quam* (inquit) *concupiſcentiam Diabolus accedit, tamquam ad ſuam legem, & manet quaſi in peccato peccatum; quia caro iam peccati eſt, vt decipiat hominem ſuggeſtionibus malis.*

7 Ecce clare quomodo nullum peccatum Adæ in poſteris agnoſcit iſte author, quod non ſit peccatum propriæ actionis, in ſimilitudinem ſcilicet præuaricationis Adæ commiſſum, præter peccatum quod in membris habitat. & qua ratione, peccatum propriæ actionis vocat peccatum Adæ, *ſiue delictum proprium paternum* (vt ipſe ibi loquitur) quia ſcilicet occaſione

 pecca-

Digitized by Google

peccati Adæ committitur, ex quo ad noſtra corpora, concupiſcētia tranſit, quæ peccatum propriæ actionis parit. Quid igitur mirum eſt, ſi iſte author Pelagianus, conſequenter ad ſuum peſtiferum dogma, condemnationem ignis in poſteris Adæ, non admittat, propter ſolum peccatum Adæ, ante peccatum propriæ actionis vniuſcuiuſque. Numquid ergo ei ſuccenſebimus, quia quem immunem putat ab omni delicto & peccati macula, eum à morte ſecunda gehennæ liberat? nonne ipſe ſanctiſſimus Magiſter clamat epiſt. 106. *Quemquam vero immeritũ, & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur; alienus ab iniquitate non creditur.* Cui concordat illa eius alia ſententia lib. 3. contra Iulian. cap. 18. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus; poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt quemquam ſine meritis damnare, quia iuſtus eſt.*

Deus poteſt hominem ſine meritis ſaluare, non tamen ſine demerito condemnare.

8 Non ergo hunc Commentatorem reprehendimus, quia putat innocentes & ab omni peccato immunes, ad pœnas gehen-

næ

næ à Deo damnari non poſſe; quod nos cum B. Auguſt. inconcuſſe tenemus; conſtrepant, licet multi, abſoluto Dei dominio plaudentes, quos alibi ex proprijs Auguſt. principijs latiſſime impugnauimus: ſed eum potius reprehẽdimus, tum quia ipſum originale peccatum prorſus tollere videtur, prout iam ex eius verbis probauimus, atque adeò in hoc Pelagiano principio fundatus, putat falsò & erronee, omnes homines eſſe omninò innocentes ante peccatum propriæ actionis; tum quia dicendo, nulli poſterorum Adæ debitam eſſe mortem ſecundam gehennæ propter peccatum Adæ ante peccatum propriæ actionis vniuſcuiuſque (vt in citato teſtimonio docet) forte euacuare conſequenter videtur peccatum originale in paruulis, quos ſic à gehennæ obligatione, & per conſequens à morte ſecunda liberat. Quod vt euidentius appareat, duo diſcutere debemus; primum eſt, An pœna gehennæ, ſeu mors ſecunda gehennæ ſit peccato originali, ſeu habentibus ſolum originale debita; quod ſequen-
 ti capi-
Digitized by Google

ti capite præſtabimus: ſecundum eſt, vtrum negantes eam gehennæ mortem paruulis ſine Baptiſmo morientibus, forte euacuare in eis videantur peccatum originale; quod poſtea proſequemur.

Oſtenditur clariſſime pœnam gehennæ eſſe peccato originali debitam.

CAPVT VNDECIMVM.

1 SEd vt dilucidius illud primum in hoc capite præſtemus, ſi tamen diligentius id facere poſſimus quàm iam hucvſque fecimus: recordandum eſt ex Beato Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 2. & ſerm. 162. de tempore, duplicem eſſe hominis mortem, vt ex Scripturis Sanctis colligitur. *Noſſe enim* (inquit) *debemus, dilectiſſimi Fratres, duas eſſe mortes, & duas eſse reſurrectiones. Dicitur enim mors prima, dicitur & ſecunda. Porrò primæ mortis, duæ ſunt partes, vna qua peccatrix anima, per culpam diſceſsit à Creatore ſuo: altera, qua iudicante Deo excluſa eſt per pœnam de corpore*

Duplex eſt mors, & reſurrectio etiam duplex.

Primæ mortis duæ partes.

pore ſuo. Mors autem ſecunda, ipſa eſt corporis & animæ punitio ſempiterna. Per mortem verò ſecundam, anima ſolius mali hominis in æternum cum corpore ſuo cruciatur. Eodem modo illam duplicem mortem explicat vbi ſupra de Ciuitate. *Mors igitur* (inquit) *animæ fit cum eam deſerit Deus; ſicut corporis, cum id deſerit anima. Ergo vtriuſque rei, id eſt, totius hominis mors eſt, cum anima à Deo deſerta, deſerit corpus: Ita enim nec ex Deo viuit ipſa, nec corpus ex ipſa; huiuſmodi autem totius hominis mortem, illa ſequitur, quam ſecundam mortem diuinorum eloquiorũ appellat authoritas. Hanc Saluator ſignificauit, vbi ait; Eum timete qui habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam, quod cum antea non fiat, quàm cum anima corpori ſic fuerit copulata, vt nullâ diremptione ſeparentur: mirum videri poteſt, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deſeritur, ſed animatum ſentienſqúe cruciatur.* Hæc S. Aug.

2 Quo conſtituto; videndum eſt quam mortem meruerit, primus homo peccando;

do; an primam, ſecundùm eius prædictas partes: mortem ſcilicet, tàm corporis, quàm animæ; an ſecundam mortem; an vtramque, primam & ſecundam. Conſulamus igitur de hac celebri difficultate, ſapientiſſimum, ſublimiſſimum, & excellentiſſimum Eccleſiæ poſt Apoſtolos oraculum, Beatiſſimum dico Auguſtinum, qui libro ſupra citato de ciui. ca. 12. eandem quæſtionem proponit, & ſoluit ſequentibus verbis:

Vtramque mortem meruit Adam ſuo peccato.

Cum ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: vtrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ ſecunda dicitur? Reſpondendum eſt, omnes. Prima enim conſtat ex duabus, vnâ animæ, alterâ corporis: ſecunda, eſt omnibus tota. Sicut enim vniuerſa terra ex multis terris, & vniuerſa Eccleſia ex multis conſtat Eccleſiis: ſic vniuerſa mors ex omnibus: quoniam prima conſtat ex duabus, vnâ animæ, alterâ corporis; vt ſit prima totius hominis mors, cum anima ſine Deo & ſine corpore ad tempus pœnas luit: ſecun-

Digitized by Google

ſecunda vero, vbi anima ſine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in Paradyſo conſtituerat, de cibo vetito; Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini; non tantum primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo; nec tantùm poſteriorem, vbi corpus priuatur anima; nec ſolùm ipſam totam primam, vbi anima & à Deo, & à corpore ſeparata, punitur: ſed quicquid mortis eſt vſque ad nouiſſimam, quæ ſecunda dicitur, & qua eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. Hæc omnia B. Auguſt.

3 Tertio, obſeruandum eſt omnes Adæ poſteros ex eo per ſeminalem propagationem deſcendentes (ſecluſo ſpecialiſſimo priuilegio paucorum excellenter Sanctorum, qui toti Eccleſiæ noti ſunt) naſci cum obligatione eiuſdem pœnæ duplicis mortis, quam Deus comminatus eſt Adamo, quamq́ue ipſe poſtea peccando incurrit; vt patet ex eodem Sanctiſſimo Magiſtro vbi ſupra de Ciuit. cap. 3. & 14. *Quamobrem* (inquit) *fatendum eſt primos* *Adæ poſteri naſcuntur cum obligatione pœnæ duplicis mortis.* Auguſt. de Ciuit.

Q *quidem*

quidem homines peccatores, ita fuiſſe morte mulctatos, vt etiam quidquid eorum ſtirpe eſſet exortum, eadem pœnâ teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quàm quod ipſi fuerunt, naſceretur: pro magnitudine quippe culpæ illius, naturam damnatio mutauit in peius; vt quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris. Et paulo poſt, *In primo igitur homine per fœminam in progeniem tranſiturum vniuerſum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula Diuinam ſententiam excœpit; & quod homo factus eſt, non cum crearetur, ſed cum peccaret & puniretur; hoc genuit; quantum quidem attinet ad peccati & mortis originem.* & cap. illo 14. *Omnes enim fuimus in illo vno, quando omnes fuimus ille vnus, qui per fæminam lapſus eſt in peccatum, quæ de illo facta eſt ante peccatum. Nondum erat nobis ſingillatim creata & diſtributa forma, in qua ſinguli viueremus; ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur; qua ſcilicet propter peccatum vitiatâ, & vinculo mortis obſtricta,*

Digitized by Google

ctâ, iuſtèque damnatâ, non alterius conditionis homo ex homine naſceretur: ac per hoc à liberi arbitrij malo vſu, ſeries huius calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus, origine deprauatâ, velut radice corruptâ, vſque ad ſecundæ mortis exitium, quæ non habet finem, ſolis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miſeriarum connexione perducit. Idem habet ſermone ſuperius citato. *Vtraque ergo* (inquit) *mors omnem hominem tenebat obſtrictum; quia naturæ tranſgreſsio vnumquemque peccatis propagat obnoxium.* Ser. 162. de temp.

4 Nec hîc reſponderi poteſt Auguſtinum velle, omnes naſci de facto, quando naſcuntur, obnoxios primæ morti, & etiam ſecundæ; ſed ſi ad ætatem maiorem peruenerint, in qua Deum peccando, peccato propriæ actionis, deſerunt. Huic enim euaſioni manifeſte aduerſantur illa verba: *Vt quod pœnaliter præceſsit, in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris.* In quibus verbis non intendit Auguſtinus docere obligationem vtriuſque mortis primæ & ſecundæ ſequi *Quædam reſponſio reijcitur.* dicto cap. 3.

 poſte-

poſteros Adæ ex neceſſitate naturæ humanæ ſecundum ſe, ſeu ex principijs eius eſſentialibus, aut non eſſe pœnaliter in eis: vtrumque enim in doctrina Auguſtini & veritatis falſum eſſet, vt ſæpè aliàs oſtendimus; ſed ſolùm affirmat obligationem vtriuſque mortis, eſſe in primis parentibus pœnalem, quia eis inflicta eſt propter peccatum; non autem naturalem; quia cum illa obligatione ab initio conditi non fuerunt; eſſe verò in eorum poſteris, non ſolùm pœnalem, ſed & naturalem, quia cum illa naſcitur omnis homo; quo modo loquitur de concupiſcentia, libr. 4. contra Iulian. cap. 9. *Ego autem non dico, vt me dicere affirmas, naturale non eſſe ſine quo natura non eſt: ſed dico naturale appellari vitium ſine quo nunc natura humana non naſcitur; quæ tamen ſic inſtituta non eſt ab initio:* & lib. 5. contra eundem. cap. 5. *Quod autem nunc agitur, naturalem eſſe libidinem, & ego dico, quia cum illa naſcitur omnis homo; & tu multo amplius, qui dicis, quòd cum illa ſit conditus primus homo.*

5 Igitur

5 Igitur ex ſupradictis verbis apertè conuincitur, ſecundum mentem B. Auguſtini totum quod præceſſit pœnaliter in primis hominibus, & conſequenter obligationem vtriuſque mortis, primæ & ſecundæ, eſſe naturaliter, hoc eſt, à natiuitate in naſcentibus cæteris. Et hoc manifeſtè ſignificant illa alia verba; *Sed eoſdem primos peccatores ita fuiſſe morte mulctatos, vt etiam quidquid eorum ſtirpe eſſet exortum, eadem pœnâ teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quàm quod ipſi fuerint, naſceretur.* Hocque clare innuunt alia illa verba ſupra citata: *In primo igitur homine* &c. vt conſideranti ea, facile patebit. Idem ſignificant illa verba cap. 14. ſupra citata, quæ nullum alium ſenſum admittunt; *Sed iam natura erat ſeminalis ex qua propagaremur, qua ſcilicet propter peccatum vitiatâ, & vinculo mortis obſtrictâ iuſteque damnatâ, non alterius conditionis homo ex homine naſceretur; ac per hoc, à liberi arbitrij malo vſu ſeries huius calamitatis exorta eſt, quæ humanum genus origine deprauatâ, velut radice corruptâ, vſque ad ſecunda*

Pœna peccati Adæ ad poſteros tranſiuit eadem quam ipſi ſib. meruit.

Eiuſdem c. 3.

Ex eodem c. 3.

cundæ mortis exitium, quæ non habet finem, ſolis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miſeriarum connexione perducit. Hæc Auguſt. Ergo nullus ex naſcentibus qui per gratiam Dei non liberatur, caret ſecundæ mortis obligatione.

Obligatio prima & ſecundæ mortis comitatur peccatum Originale. In fine.

6 Tandem, totum hoc, obligationem ſcilicet, non ſolum primæ mortis, ſed etiam ſecundæ, comitari peccatum originale, probatur liquidiſſimè ex alijs Auguſtini verbis cap. 3. ſupra citato, vbi loquens de peccato originali, ſubijcit: *A quo peccati vinculo, ſi per mediatoris Chriſti gratiam ſoluuntur infantes: hanc ſolam mortem perpeti poſſunt, quæ animam ſeiungit à corpore; in ſecundam vero illam, ſine fine pœnalem, liberati à peccati obligatione, non tranſeunt.* Quid clarius, quam habentes ſolum originale, non liberari à ſecunda morte, ſi moriantur; niſi antè per gratiam Chriſti à peccati originalis vinculo redimantur. Huius autem obligationis omnium eorum, qui peccato originali inficiuntur, ad ſubeundam pœnam æternam, quæ cum ſecunda morte ge-

te gehennæ coincidit (vt ſtatim dicemus) ſi non liberantur, idem Magiſter rationem reddit lib. 21. de Ciuit. cap. 12. vt ſupra oſtendimus.

7 Accedit ad ſupra dicta teſtimonia, authoritas Theologorum quos impugnamus, qui aperte fatentur, gehennam, quæ eſt ſecunda mors (vt infra videbimus) deberi peccato, quod ex Adamo contrahitur. Quærentes enim, vtrum pueri in ſtatu innocentiæ nati, fuiſſent in iuſtitia confirmati, atque partem negantem amplectentes, illud Beati Gregorij teſtimonium ſibi obijciunt: *Si Parentem primum nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret*. Ad quod reſpondent, ideò Sanctum Gregorium hoc dixiſſe, quia ſi Adam non peccaſſet, filij eius naſcendo non contraherent ab ipſo peccatum, quod eſt cauſa gehennæ. Quid manifeſtius hac iſtorum confeſſione, qua confitentur peccatum ex Adamo contractum eſſe cauſam gehennæ; & ideò verè dictum fuiſſe à Gregorio, ſi Adam in ſua innocentia duraſſet, ipſum

Idem probatur argumento ad hominem.

ipſum ex ſe non generaturum filios gehennæ; quia filij eius non naſcerentur tunc, ipſo inſonte manēte, cum peccato, quod ex ipſo contraherent, quodq́ue eſt cauſa gehennæ? Ergo clarè fatentur, Adamo peccante, ſicut de facto peccauit, & filios, qui ab ipſo peccatum originale contrahunt, procreante, ipſum generare eos ex ſe filios gehennæ; ergo negare non poſſunt peccato originali gehennam deberi. Sed nunc ab alio capite incipiamus.

Idem intentum, videlicet pœnam gehennæ Originali deberi, amplius confirmatur.

CAPVT DVODECIMVM.

Qui non erit particeps primæ reſurrectionis, erit neceſſario mortis ſecundæ obnoxius. Apocal. cap. 20. ver. 6.

1 EAdem veritas ex Auguſtino & Sanctis confirmari poteſt. Nam certum eſt in omnes homines, qui non erunt participes reſurrectionis primæ, ſecundam mortem habituram poteſtatem; vt Auguſtinus colligit ex illo Apoc. 20. *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Sed

Sed morientes cum ſolo originali non ſunt participes reſurrectionis primæ: ipſe enim particeps illius reſurrectionis eſt, teſte Auguſtino lib. 20. de Ciu. ca. 6. & 9. *Qui non ſolùm à morte, quæ in peccatis eſt, reuiuiſcit; verùm etiam in eo quod reuixit, remanebit.* ergo in morientes cum ſolo originali ſecunda mors habebit poteſtatem. August.

2 Et verè, vt ex Aug. colligitur lib. 6. contra Iul. cap. 4. importunè ſatis contenderetur figulum illum ſicut facit miſericorditer multa vaſa honoris ex maſſa damnata, qui ſine proprio rectefacto erunt participes ſecundæ reſurrectionis, ac gaudij ſenſibilis; non poſſe ſimiliter iuſtè facere ex eadem maſſa damnata, multa vaſa contumeliæ, qui ſine proprio malefacto erunt participes ſecundæ mortis, ſiue doloris ſenſibilis; quia ſcilicet nòn liberantur à maſſa illa, quæ ſignificatur ſecundum Auguſt. libr. 1. operis imperfecti numero 126. cum dicitur: *Ex vno omnes in condemnationem*; quæ certè condemnatio, de qua Scriptura tam ſæpè loquitur, coincidit cum illa vera morte,

Sicut quidam ſine proprijs meritis miſericorditer ex maſſa dānationis liberantur, ita in eadē alij iuſtiſſimè manent æternis pœnis addicti.

Rom. 5.

R de

de qua Dominus loquebatur, *Mortem non*
Ioan.8. *videbit in æternum:* Super quæ verba Au-
Auguſt. guſt. tract. 43. in Ioan. *Cum ergo & morituris loqueretur & moriturus loqueretur; quid ſibi vult quod ait, Qui ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum: niſi quia videbat Dominus aliam mortem, de qua nos liberare venerat? mortem ſecundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum Diabolo & Angelis eius. Ipſa eſt vera mors* quæ pœna æterna vocatur; quia ad mortem primam, & conſequenter ad pœnam temporalem pertinet quicquid anima ſine Deo & ſine corpore ad tempus, hoc eſt vſq; ad extremum iudicium luit: vt colligitur ex Auguſt. libr. 21. de Ciuit. cap. 13. & libr. 13. cap. 2. & 12. & ſæpè aliàs. Supradictis congruit illud Au-
Auguſt. guſtin. vbi ſupra, de Ciuit. *& ideò cum dies venerit quo fiet & corporum reſurrectio; non ad vitam de monumentis procedent, ſed ad iudicium; ad damnationem ſcilicet, quæ ſecunda mors dicitur.* & in Enchir. cap. 92. *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum*

habi-

Digitized by Google

habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Nec moueat quomodo in eis erit corpus incorruptibile, ſi dolere poterit; aut quomodo corruptibile, ſi mori non poterit: Non eſt enim vera vita, niſi vbi fœliciter viuitur: nec vera incorruptio, niſi vbi ſalus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infælix mori non ſinitur; (vt ita dicam) mors ipſa non moritur; & vbi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. Hæc in Sanctis Scripturis ſecunda mors dicitur, quam Saluator ſecundum eundem Auguſtinum lib. 13. Ciu. cap. 2. ſignificauit quando ait; *Eum timete qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam.* vnde reprobi filij perditionis vocantur; quos propterea Auguſt. ſæpè perditos appellat. *Sola enim gratia* (inquit in Enchirid. cap. 99.) *redemptos diſcernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat maſſam ab origine ducta cauſa communis.*

3 Ex his igitur Scripturarum & Auguſtini ſolidiſſimis principijs manifeſtiſſimè conſtat, Adamum peccando primum illud

Digitized by Google

magnum peccatum, quo naturam humanam in deterius mutauit, meruiſſe ſibi vtramque mortem, primam & ſecundam; omneſque eius poſteros, qui ab eo per ſeminalem propagationem deſcendunt, quia in eo omnes fuerunt, quando diuinam ſententiam ſuæ damnationis excepit, eidem obligationi vtriuſque mortis, primæ & ſecundæ (vt verum ſit, *ex vno omnes in condemnationem*) ex ſe naſcendo ſubiacere; imò de facto obnoxios eſſe: excepto paucorum priuilegio ſupra memorato, eorum ſcilicet, qui vel in vtero ſanctificati ſunt, vel qui per mirabilem gratiæ omnipotentis anticipationem, Sancti concipiuntur: quod vltimum ſoli Beatiſſimæ Virgini ex ſupradictis filijs Adam contigiſſe, Eccleſia ſoli ei, & nulli alteri Conceptionis feſtum celebrando, ſignificat. Igitur infallibile eſt infantes Adæ poſteros, qui ex hac vita ſine baptiſmo diſcedunt,

Rom. 5.

Lege B. Aug. ſer. 113. de diuerſis, aſtruentem diem paſſionis S. Cypriani ab Eccleſia celebrari, non autem diem natiuitatis, quia in eo traxit originale peccatum; vt inde minimè cuncteris, non ſolùm natiuitatem Virginis, quam fideles non cōtinuò ab eius obitu (vt patet ex lib 50. homil. hom. 44 ſed poſt aliquot ſæcula Deo ſic diſponente celebrare cœperunt, verum & eius Conceptionem, quam Chriſti Eccleſia non ſtatim ab initio, ſed tempore à Diuina prouidentia præordinato colere cœpit, ac Dei beneficio iam nullo contradicere audente, feſto ſpeciali per orbem Chriſtianum colit, immaculatam prædicare.

Digitized by Google

ſcedunt, quia à peccati vinculo per gratiam non liberantur, in mortem illam ſecundam ſine fine pœnalem tranſire, iuxta obligationem communem in naſcentibus contractam, qua perditur corpus & anima in gehennam, ſecundum Saluatoris dictum ſupra citatum; eâ enim morte corpus, non ab anima deſertum, *ſed animatum ſentienſque*, (vt rectè ſupra Auguſtinus) *cruciatur.*

4 Nullam enim aliam mortem ſecundam in Scriptura aut Auguſtino aduerſarij inuenient, qua omnes damnati ſine fine, ſiue in æternum, punientur; vt colligitur ex illo Euãgelij loco, & patet ex Apocal. Ioan. in qua ſola ni fallor definitur, quid ſit ſecunda mors, quam omnes damnati, ſeu qui non fuerint in lib. vitæ, ſiue qui non erunt participes primæ reſurrectionis patientur poſt iudicium: *& Infernus* (inquit cap. 20. Apocal.) *& mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* & cap. 21. *In ſtagno ardenti igne & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.* Stagnum ignis vocatur mors ſecunda, quia cauſat mortem ſecundam, illam ſcilicet pu-

Nullã eſſe aliam ſecundam mortẽ preter ſtagnũ ignis æterni, probatur ex ſcr. & Auguſtino.

Digitized by Google

nitionem æternam corporis & animæ: vbi cauſa vocatur nomine effectus, ſtagnum
cap.92. mors, de qua morte Auguſtinus in Enchir. loco ſupra citato, *Vbi autem* (ait) *infelix mori non ſinitur; vt ita dicam mors ipſa non moritur: & vbi dolor perpetuus non interimit,*
cap.93. *ſed affligit; ipſa corruptio non finitur. Hæc in ſcripturis ſanctis ſecunda mors dicitur. Nec prima tamen mors, qua ſuum corpus anima relinquere cogitur, nec ſecunda, qua pœnale corpus animam relinquere non permittitur, homini accidiſſet, ſi nemo peccaſſet.* Et lib. 21. de Ciuit. cap. 3. *Non enim nulla, ſed ſempiterna mors erit, quando nec viuere anima poterit, Deum nō habendo; nec doloribus corporis carere, moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore; ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore: ab vtraque tamen morte communiter id habetur, vt quod non vult anima, de ſuo corpore patiatur.* & lib. 19. cap. 28. *Eorum autem qui non pertinent ad iſtam ciuitatem Dei, erit è contrario miſeria ſempiterna, quæ etiam ſecunda mors dicitur: quia nec anima ibi viuere dicenda eſt, quæ à Dei vita aliena erit; nec corpus,*

Digitized by Google

pus, quod æternis doloribus ſubiacebit. Ac per hoc ideo durior iſta ſecunda mors erit, quia ſiniri morte non poterit. & lib. 13. cap. 2. *Verum in damnatione nouiſſima, quamuis homo ſentire non deſinat: tamē quia ſenſus ipſe, nec voluptate ſuauis, nec quiete ſalubris, ſed dolore pœnalis eſt, merito mors eſt potius appellata, quam vita; ideo autem ſecunda, quia poſt illam primam eſt, qua fit cohærentium diremptio naturarum, ſiue Dei & animæ, ſiue animæ & corporis.* ſub fin.

5 Admittatur ergo (vt verificetur *Ex vno omnes in condemnationem*, paruulos ſine liberatione à vinculo originalis, decedentes, cruciari atq; perdi poſt iudicium, morte ſecundâ; & conſequenter gehennâ, aliam enim mortem ſecundam ſacræ litteræ & Auguſtinus non agnoſcunt; aut animoſe atque aperte prædicetur (contra ſupradictū illud, ab his tamen admiſſum, Adam videlicet ex ſe filios gehennæ generare:) eos non ſolum à morte ſecunda, ſed etiam à morte prima totius hominis, qua anima Deum deſerens, non ſolum à corpore ſuo, ſed etiam à

Deo

Deo vitâ ſuâ pœnaliter ſeparatur, eſſe omnino immunes. Iſta enim ideò verè prima totius hominis vocatur quia illam ſecũdam antecedit, diuina lege ſequuturam. Quod ſi ſemel aſſeritur, Pelagiana hæreſis triumphabit, quæ nullam damnationem in paruulis admittebat. Quis igitur tantæ euidentiæ, tanta authoritatum ac rationum conteſtatione munitæ, in poſterum contradicet; niſi qui procliuior erit quærere potius quid contra ea reſpõdeat, quæ eius coniecturæ, in quam ſemel irruit, obijciuntur; quàm retractare id, quod retractandum eſſe tam efficaciter probari videtur.

Indagatur an ille Commentarius pœnã gehennæ Originali deberi negans, omnéſque in hoc illum ſequentes, euacuent forte Originale? aliæque opiniones apud quoſdam celebres, diſcutiuntur.

Capvt Decimvmtertivm.

1 HOc igitur primo ex duobus, quæ ſuperius promiſimus, ſtabilito ac reten-

retento; Secundum, quod diſceptare polliciti ſumus; nunc venit diſcutiendum, an qui ſcilicet paruulos ſine baptiſmo morientes, cruciari morte ſecunda gehennæ negat (vt ſupra dictus Commentarius, ac multi poſt eum negant:) euacuet forte conſequenter in eis, velit nolit, peccatum originale: quod ſic breuiter inueſtigari poteſt. In ſupradictis, copioſè ſatis oſtendimus mortem ſecũdam ex Diuina iuſtitia eſſe debitam peccato originali, ac per conſequens, illam mortem deberi omnibus, qui in eo peccato ex hac vita decedunt: ſimulque probauimus ſacras paginas & beatiſſimum Auguſtinum, nullam aliam mortem ſecundam agnoſcere, niſi perpetuum cruciatum animæ ſimul & corporis in gehenna: iudicet ergo lector, an qui negat paruulos ex hac vita ſine liberatione gratiæ exeuntes, ad cruciatum gehennæ peruenire; velit nolit, etiam neget mortem ſecũdã eſſe eis debitam; & per conſequens, an non euacuare forte in eis videatur originale; quod ſine tali debito, ſeu merito, ſecũdum ſupradicta ſcripturarum & Auguſtini (vt arbitrior)

An qui pœnam sẽſibilẽ cruciatus æterni negant originali peccato deberi, ipſum peccatũ orig. prorſus euacuare cõuincantur.

S ſoli-

ſolidiſſima principia, in nemine reperiri poteſt.

2 Confirmatur. Nam quamuis Semipelagiani peccatum originale, cum Eccleſia fatebantur, merito id ipſum à Sancto Proſpero euacuare cenſebantur (in Epiſt. ad Demetri. §. *Sed hoc eos* & libr. 1. de vocat. genti. cap. 18. & carm. de Ingra. cap. 42. & ſæpe aliàs) quia læſionem naturæ, qui eſt effectus qui ad illud peccatum ſecundum ſcripturas ſecutus eſt, negebant; quam etiam læſionem ideo ipſi Pelagiani negabant, ne cõſequenter inde peccatum originale fateri cogerentur; teſte Sancto Leone Epiſtol. 85. alias 86. An non ergo ſimili modo, qui mortem ſecundam (quæ cum pœna æterna reprobi coincidit, quæque ad originale, ex Diuina ordinatione ſequitur) in paruulis, qui hinc ſine liberatione gratiæ ad aliam vitam tranſeunt, non fateatur, velit nolit, conuinci forte videatur in eis euacuare peccatum originale? Quæ ſane conſequentia Pelagianos ipſos non latuit vt patet ex Iulian. apud Auguſt. libr. 2. operis imperfecti circa medium

S. Proſp.

S. Leo PP.

num.

Digitized by Google

num. 95. 97. & 99. vbi contendit, ad hominem quaſi argumentando, Auguſtinum euacuare in paruulis peccatum originale, quia ſcribit lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia cap. 27. Super illa Apoſtoli verba, *multô magis abundauit. Quid eſt multo magis abundauit: niſi quia omnes qui per Chriſtum liberantur, temporaliter propter Adamum moriuntur; propter ipſum autem Chriſtum ſine fine victuri ſunt?* contendit (inquam) Iulian. ex illis Auguſtini verbis fraudulenter intellectis, ipſum euacuare originale, quia non dicit ibi, eos qui per Chriſtum liberantur, ſempiternè, aut morte ſecunda, ſed morte temporali mori. Tu (inquit) *Iulianus per hoc peccatum tuum, id eſt, traducis, vnam dicis, an duas tranſiſſe mortes. Si vnam, & corporalem, vt hic confeſſus es, conſtat gratiam Chriſti antecellere peccato primi hominis, & iam naſcitur nemo peccator, quia, ſicut ſupra dixiſti, regnum peccati eſt, vt in ſecundam homo mortem, id eſt, in pœnam perpetuam, præcipitetur.* Cui Auguſtinus reſpondet. *Ego dixi vna reſurrectione beatorum, ambas mortes tolli: & iſtam, ne ſit*

Rom. 5. 15. Auguſt.

Num. lo 99

Vbi ſupra num. 100.

anima ſine corpore ſuo; & illam, ne aggrauetur vel affligatur anima, etiam corpore ſuo. Ex quibus tum Auguſtini, cum Iuliani verbis conſtare videtur, fuiſſe indubitatum, eum qui pœnam mortis ſecundæ, ſiue gehennæ peccato originali negaret; conuinci quod peccatum originale euacuet.

Idem fatetur tãdem quidam grauis autor modernus & argumẽto ad hominem probatur.

3 Quod ſane quidam modernus Scholaſticus, vir non ſolum inter modernos non infimæ claſſis, ſed de vniuerſa Eccleſia bene meritus, qui prædictos paruulos alibi cum cæteris Scholaſticis à gehennã liberos manifeſtè facit propter ſupra citatas authoritates, Pontificis Innocentij: & illius Commentarij in Epiſtolam ad Roman. ſuæ ac ſuorum ſententiæ immemor, vel ſuam forte corrigens, aperte fatetur; affirmat enim authorem quæſtionum veteris ac noui teſtamenti euacuare peccatum originale, quia in illis quæſtionibus docet paruulos Sodomorum, qui in illo incendio perierunt in ſubuerſione Sodomæ, liberos fuiſſe à gehenna. Verba illius moderni, loquentis de authore illarum quæſtionum, ſunt hæc, *qu.* 13. *dicit paruulos filios*

filios, qui vnà cum parentibus perierunt in ſubuerſione Sodomæ, liberos eſſe à gehenna; ac per hoc negat iſte peccatum originis. Quid clarius? an non idem concedere teneantur Theologi illi qui explicant teſtimonium Sancti Gregorij ſupra citatum, *Adam non generaturum fuiſſe filios gehennæ, ſi ipſum nulla peccati putredo corrūperet: quia non naſcerentur* (inquiunt) *in illo ſtatu homines cum peccato ab Adamo contracto, quod eſt cauſa gehennæ?* Quia ſi paruuli morientes ſine baſptiſmo futuri ſunt immunes à gehenna; quomodo naſcuntur filij gehennæ? Quomodo naſcuntur cum peccato originali, quod eſt, etiam ſecundum ipſos, cauſa gehennæ; quodque conſequenter ipſum habentes, filios gehennæ facit?

4 An non igitur corruere forte videantur hinc, quædam ædificia aliarum ſuſpicionum, quæ in quibuſdam ſcholis celebria ſunt, quæque ſuper hoc fragili, ac iam fortè fracto fundamento, ſuperioribus ſæculis, à quibuſdam authoribus erecta ſunt? *vt, quod ſit limbus ab Inferno diſtinctus, quo morientes*

Ex ſupradictis quorundam Theologorũ ſatis communia pri cipia taxantur

cum ſolo originali deſcendunt, vbi nullam ſenſus pœnam perpetiuntur. Quod ſit impoßibile in aliquo reperiri veniale peccatum cum ſolo originali, ſine peccato actuali mortali; ne veniale ſemper maneat impunitum, quia in Lymbo puerorum non eſt pœna ſenſus, quæ veniali debetur; nec ad Infernum quiſquam detruditur ſine peccato actuali mortali. Et inde fieri, primum peccatum ad vſum rationis peruenientis, non poſſe eſſe veniale, ſed mortale. Tenerique vnumquemque ad vſum rationis peruenientem, ſub pœna peccati mortalis, ſtatim ſe conuertere ad Deum. An non iſta, euerſo illo fundamento immunitatis paruulorum à gehenna (ſi id ſufficienter euerſum eſſe probauimus) concidere forte conuincantur? & an non conſequenter cauendum ſit ne inde peccatum originale in paruulis forte conuincatur euacuari, teſte ſupradicto moderno, qui hoc de liberantibus paruulos à gehenna, indubitanter affirmat? præterquàm quod ea, quæ à quibuſdam modernis de illo præcepto primi inſtantis vſus rationis dicũtur vehementi fortè ſuſpicione euacuandi veram

veram Chriſti gratiam non carere, ſecũdum Auguſt. ſi eius principiis credatur; alibi fuſe oſtendimus.

Deſtruitur ſentẽtia triſtitiam à prædictis paruulis excludens, ſuadeturque illos neceſſario paſſuros triſtitiam, etiamſi nullam ignis pœnam eos pati fingeremus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

1 EX ſupradictis manifeſte ſequitur, paruulos ſine baptiſmo moriẽtes paſſuros animæ dolorem. Si enim ex adductis à nobis hactenus clare cõſtat, illos paſſuros dolorem corporis in gehẽna, poſt iudiciũ, quis negare poterit eos paſſuros animæ dolorẽ? Quæ corpore dolente, non dolere non poteſt; vt ſæpe ſcribit Sanctus Auguſt. præcipuè libr. 21. de ciuit. cap. 3. *Si autem* (inquit) *conſideremus diligentius dolor, qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Animæ enim eſt dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi cauſa exiſtit à corpore, cum in eo loco dolet, vbi læditur corpus ſicut ergo dicimus corpora ſentientia, &*

Corpore dolente neceſſe eſt & animam dolere.

viuentia

viuentia, cum ab anima ſit corporis ſenſus & vita; ita & corpora dicimus dolentia, cum dolor corporis niſi ab anima eſſe non poßit. Dolet itaque anima cum corpore, in eo loco eius, vbi aliquid contingit, vt doleat; dolet & ſola, quamuis ſit in corpore, cum aliqua cauſa, etiam inuiſibili triſtis eſt ipſa, corpore incolumi. Dolet etiam non in corpore conſtituta; nam vtique dolebat Diues apud Inferos quando dicebat, crucior in hac flamma. Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum ſine anima dolet. Et ſuper Pſal. 87. In princ. enarrat. *Non enim vel ipſe qui dicitur corporis dolor, poteſt eſſe ſine anima; quem ineuitabiliter imminentem præcedit mæſtitia, quæ ſolius animæ dolor eſt. Dolere ergo anima etiam non dolente corpore poteſt; dolere autem corpus ſine anima non poteſt.* Ita ibi Auguſt. Quid igitur certius quàm animas vnitas corporibus, quæ in æternorum ignium durant tormentis, ſimul cum ſuis corporibus hoc experientes, dolere; & æternitatem tormentorum cogitantes, numquam finiendam, magnâ mæſtitiâ, quæ ſolius animæ dolor eſt, cruciari?

2 Sed

Digitized by Google

2 Sed eſto, Infantes illi nullum poſt iudicium dolorem paterentur externum, vel internum à gehenna, vel ab horribili aſpectu tenebricoſi carceris ignei, aut à truculento Dæmonum conſpectu, ſiue ab apprehenſione perpetuæ ſeruitutis, in qua ſub Dæmonis poteſtate ſerui tenentur; ſiue ex conſideratione æternitatis tormentorum: probatur ex Diuo Auguſtino illos ex ſola amiſſione regni Cœlorum, ſiue vitæ æternæ, paſſuros ingentem triſtitiam, quæ eſt ſolius animæ dolor; & eos hac triſtitia carere non poſſe. *Quid igitur* (inquit idem Auguſtinus lib. 6. contra Iulian. cap. 4. tractans de iiſdem paruulis) *eum offenderunt, quos pariter innocentes, mundos, à ſe ad imaginem ſuam creatos, innumerabiles ab iſto munere alienat, nec eorum voluntatem huius ineffabilis præuenit beneficij largitate; ſeparans tot imagines ſuas à regno ſuo? Si hoc eis non erit malum; non ergo amabunt regnum Dei, tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipſius imaginem creantur: nihilne mali*

Infantes cum ſolo orig. peccato morientes aliquam paſſuros triſtitiam neceſſe eſt etiamſi nullum ignis cruciatum ſentirent.

T *de*

de hac ipſa ſeparatione patientur ? nihil ne mali; hoceſt, quaſi diceret, nihilne doloris, iuxta ea quæ habet libr. 13. ciuitat. cap. 2. *An quia vita qualiſcumque aliquòd bonum eſt, dolor autem malum : ideò nec viuere corpus dicendum eſt, in quo anima non viuendi cauſa eſt, ſed dolendi?*

3 Item ſermon. 14. de verbis Apoſtoli, loquens de eiſdem paruulis, probanſq; contra Pelagianos, eos neceſſario triſtari, ac ſic inſigniter puniri, etiamſi nullam iacturam paterentur ob baptiſmum non acceptum, quàm non admitti ad regnum cœlorum, vt Pelagiani dogmatizabant; ſic ſcribit, *Nam & qui exulantur* (inquit) *viuunt ſi ſani ſunt; in doloribus corporis non ſunt, nec torquentur, non carceris tenebris affliguntur; hæc illis ſola pœna eſt, non eſſe in patria. Si amatur patria, magna pœna : ſi autem non amatur patria, peior eſt cordis pœna. Paruum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit ſanctorum, qui non deſiderat regnum Cœlorum ? ſi non deſiderat, pœna eſt de peruerſitate : ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudata*

Digitized by Google

data charitate. In quibus locis ſupponit beatiſſimus Magiſter tamquam indubitatum, infantes illos amare regnum cœlorum, ſiue beatitudinem, ne alias perverſæ naturæ conuincantur; triſtarique neceſſario, quia à re quam amant in æternum ſeparantur.

4 Cuius ratiocinationis vis, vt plenius intelligatur, admonendum eſt, ineſſe homini naturaliter appetitum, ſeu voluntatem beatitudinis. Lege de hoc eundem lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Neque enim omnes homines* (inquit ipſe ibidem) *naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus.* Et lib. 13. de Trinit. à cap. 4. vſque ad decimum; in Enchir. cap. 25. libr. 10. Confeſſionum, cap. 20. libr. 1. de libero arbit. cap. 14. de natura & gratia cap. 46. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 3. & ſæpiſſime in libris de Ciuit. Dei, maxime libro 14. cap. 25. vbi ſcribit *naturam humanam naturaliter expetere, vt mori falli, & offendi omnino non poſſit, eique ſit certum, ita ſemper futurum*, hoc eſt, beatidinem appetere.

Naturaliter ineſt homini appetitus beatitudinis.

Auguſt.

Gentiles Philoſophi idem agnouerunt.

5 Hancq́ue veritatem tam ſibi perſuaſam, ipſi Philoſophi gentiles habuerunt, vt *Cicero qui ex ſecta Academicorū̃ fuit, quibus omnia dubia fuerunt* (vt recte notauit Auguſt. vbi ſupra de Trinitat. cap. 4.) *cum vellet in Hortenſio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, ſumere ſuæ diſputationis exordiũ*; aſſerere non dubitauerit; *beati certe (inquit) omnes eſſe volumus*. & hunc beatitudinis appetitum eſſe à natura hominis inamiſſibilẽ, etiam ex peccato, docet idem Author in Enchiri. cap. 25. illis verbis, *Quæ tamen natura in malis ſuis non potuit amittere beatitudinis appetitum*. & lib. 22. ciuit. cap. 30. *Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adã perdidit, poſſe non mori; nouiſſima erit, non poſſe mori: ita primum liberum arbitrium, poſse non peccare; nouiſſimum, non poſse peccare. Sic enim erit inamiſſibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo eſt fœlicitatis; nam vtique peccando, nec pietatem, nec fœlicitatem tenuimus; voluntatem vero felicitatis; nec perdita felicitate perdidimus*.

6 Quibus ſic prænotatis; probatur mani-

feſte

feſte rationes Auguſtini eſſe efficaciſſimas ad conuincendum in prædictis paruulis futuram triſtitiam ob amiſſionem regni Cœlorum. Illarum enim rationum vis in hoc conſiſtit. Prædicti paruuli amant beatitudinem naturaliter, habentque eius appetitum inamiſſibiliter; vt ex ſupradictis conſtat, & patet in ſceleratiſſimis peccatoribus, in quibus horrenda crimina talem appetitum non delent; quod etiam Ethnici Philoſophi penetrauerunt, qui hunc appetitum naturaliter ineſſe omni homini docuerũt: ergo cum per ſententiam iudicis vniuerſalis, certo illis paruulis conſtiterit, ſe in æternum ad beatitudinem Sanctorum non peruenturos, & experientia cognoſcẽt, ſe nullam beatitudinem habere; ingenti triſtitia afficientur. *Qui enim appetit quod adipiſci non poteſt: cruciatur:* vt recte notauit idem Magiſter in lib. de moribus Eccleſiæ Cathol. cap. 3. quia vt ipſe ſcribit libr. 21. de ciuit. cap. 3. *fruſtrata cupiditas, ſiue non perueniendo, quo tendebat, ſiue amittendo, quò peruenerat; vertitur in dolorem.*

Non adipiſci bonũ concupitũ infert neceſſario triſtitiam.

7 Et hæc ratio, procul dubio, ſuppoſitis his quæ fide ſunt certa, & aliis quæ lumine naturæ ſunt nota, manifeſtè conuincit, vt mirum videri poſſit, affectum ad propriam coniecturam in aliquo tantum præualuiſſe, vt à tam manifeſta veritate amplectenda, eum impediret. Et quidem, ſi infantes baptizati ex hac vita decedentes, vehementer gaudent, videntes ſe frui beatifico bono, quod naturaliter appetunt; neſcio quomodo credibile eſſet, infantes ſine baptiſmo morientes, non horrendè triſtari, videntes ſe in æternum excluſos à bono beatifico, quod naturaliter amant: niſi quis vellet de nouo fingere (contra iſtos etiam Theologos quibuſcum diſputamus, qui non hoc, ſed contrarium dicunt) eoſdem infantes omninò futuros in anima & corpore ſtupidos, ſine aliquo ſenſu, quales ſi fuiſſent; cur in vniuerſali iudicio ad audiendam iudicis ſententiam apparerent? aut quare vniuerſale rectè vocaretur illud iudicium, ſi ab eo aliquod genus hominum exciperetur.

8 Tandem, iſta ſententia, quæ paruulis illis

Digitized by Google

illis quietem ab omni dolore promittit, eos liberat à gehenna; atque adeò (teſte ſupradicto moderno, illiſque Theologis teſtibus, qui minus conſequenter ad ſua principia, quàm ad Scripturas, fatentur Adamum generare filios gehennæ, eos, qui ab eo peccatum contrahunt) peccatum originale in eiſdem paruulis euacuare videtur.

Satisfit authoritatibus Nazianzeni & Pontificis Innocentij.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1 AD authoritatem illam Gregorij Nanzianzeni, dicendum, nihil in ea reperiri poſſe, quod Theologis illis faueat, vt patebit cuicumq; eam mediocri attẽtione legenti. Ibi enim quæſtionem ex alterius perſona ſibi diſſoluendam proponit, *An baptiſmi appetitio pro baptiſmo ducenda ſit?* quam vt diſtinctè terminet, enumerat tria genera hominum, qui baptiſmum non conſequuntur; quorũ primi baptiſmum non ſuſci-

Greg. Nanzianz. quẽ pro ſe adducũt, nullatenus fauet aduerſarijs.

ſuſcipiunt, quia eum aſpernuntur; ſecundi eum differunt, quamquam non contemnendo, propter ſocordiam, & ad explendas libidines; poſtremi, qui in tertio genere poſiti ſunt, baptiſmum non aſſequuntur, quia eum accipere non poſſunt, vel propter infantiam, vel propter inopinatum & violentum caſum; quo efficitur (inquit) *vt ne cupientibus quidem, baptiſmum conſequi liceat.* Hanc inter ſupradictos differentiam docet iſte Sanctus, quod primi non ſolum aliorum ſcelerum pœnas pendent, ſed & baptiſmi contempti; Secundi, etiam pœnas luent, quia baptiſmum omiſerunt, ſed leuiores, quia non ob contemptum, ſicut primi, eo caruerunt; poſtremi (in quibus ſunt infantes, qui à baptiſmo propter ignorantiam, vt ait, excidũt, & adulti, qui cupientes baptiſmum accipere, eum ſuſcipere non poſſunt, quia inopinatò eſt eis erepta facultas eum ſuſcipiendi) *nec cœleſti gloria, nec ſupplicijs à iuſto iudice afficientur.* hoc eſt, Illi, qui cupiunt baptiſmum accipere, propter hoc ſuum deſiderium, cum baptiſmum effectu non ſuſceperint

Digitized by Google

perint, ad cœlum, ſiue ad gloriam non admittentur (*quia, quemadmodum* (inquit) *qui animo tantum & voluntate, non autem reipſa cædem perpetrauit non cædis dãnandus eſt*; Sic ille qui baptiſmum citra baptiſmi ſuſceptionem expetiuit, non vim baptiſmi obtinet) nec infantibus imputabitur ad ſupplicium, carentia baptiſmi, quia non improbitate ſua, illa caruerunt, ſicut primi & ſecundi. Hac ergo ratione affirmat illos poſtremi generis, qui cupientes baptiſmum, quem re ipſa non ſuſcipiunt, cœleſti gloria non afficiendos; & ex eorundem poſtremorum numero, paruulos ignorantes baptiſmum, ſupplicio non afficiendos. Nihil igitur iſte ſanctus Doctor hîc tractat, aut determinat de noſtra cõtrouerſia: an Infantes ſcilicet propter originale in quo moriuntur, ſupplicio afficientur: ſed præciſè, an ſupplicio afficientur propter omiſſionẽ baptiſmi; ſicut primi illi & ſecũdi, ea de cauſa ſupplicio afficiẽtur, propter ſcilicet baptiſmi omiſſionem.

2 Et hunc eſſe apertum ſenſum illius Doctoris, conſtat ex ratione quam ibi ſubijcit,

Digitized by Google

cit, cur Infantes, & illi alij baptiſmum cupientes, non afficientur ſupplicio; *quia hanc iacturam* (inquit) *paſſi potius fuerint, quàm fecerint:* vbi ſignificare non poteſt per *iacturam* quam non fecerunt, ſed pacientur, peccatum originale, quod ipſi ſecundùm fidem in Adam commiſerunt, atque adeò fecerũt: ſed ſignificat per illam iacturam, carentiam, ſeu omiſſionem baptiſmi, quam patiũtur & non fecerunt; ſicut primi & ſecundi, illã improbitatem contemptus, & ſtultitiæ potius fecerunt, quã paſſi ſunt. Potuiſſem parùm laborare de iſta Nazianzeni authoritate explicanda; deferendo adhuc tantùm eidem Sãcto Doctori, quantùm iſti moderni, ei deferunt; qui hãc ipſam eius authoritatem alibi parui pẽdunt; quòd in ea apertè negari videatur ſolum votũ, ſeu deſiderium baptiſmi, ſine reali eius ſuſceptione, aliquando ſufficere ad primam gratiam, & remiſſionẽ originalis, imò & ad gloriã obtinendam, ei, qui in extremis eſt, nec baptiſmũ poteſt re ipſa ſuſcipere. Iſta enim Nazianzeni authoritas, in hoc nullã commodam explicationẽ admittit; vnde potius

Digitized by Google

tiùs à prædictis reijcitur, quàm cõtraria ſententia, de voti aliquãdo ſufficientia (maximè poſt Trid.) deſeratur. Nõ ergo poſſunt negare illi Theologi, ſed potius fatẽtur, in tertio illo genere nõ baptizatorum, quos Nazianzenus ibi recenſet, contineri adultos, qui Sacramẽtum baptiſmi non conſequuntur, quamuis illud conſequi cupiunt.

3 Aduertant igitur, ſic ſe contendere dari aliquos, non ſolum infantes, ſed etiam adultos, qui nec cœleſti præmio, nec ſupplicio à iuſto iudice afficiẽtur; quia hoc de tertio illo genere Nazianzenus affirmat. Quid ergo (quæſo) iſti adulti, medij inter ſupplicium & gloriã, eos autores offenderunt, vt eis non fabricarent Paradyſum terreſtem; ſicut Infantibus talem Paradyſum ædificauerunt? Sed hactenus credo fuiſſe in Eccleſia, portentum inauditum, ac inſigne paradoxum, aſſerere, aliquem adultum futurum poſt iudicium, qui nec cœleſti gloria, nec ſupplicio afficietur. Neceſſe igitur eſt Nazianzenum dixiſſe, contentos in tertio illo genere, nec cœleſti gloria, nec ſupplicio afficiendos,

dos, in ſenſu à nobis ſupra explicato.

Satisfit authoritati Innocētij Papæ.

4 Ad authoritatem Pontificis Innocentij dicendum, ipſum rectè reſpondiſſe in capitulo *Maiores*, ad quæſtionem ſibi propoſitam; originale videlicet per baptiſmum dimitti non poſſe adultis dormientibus, vel amentibus, qui baptiſmo non conſenſerint, & cum originali ſimul habent mortale actuale; eius tamen ſecundam rationem ad hoc probandum, non eſſe ſatis efficacem, ſed tantùm ſuperficialem, vt bene gloſſa ibidem notat, atque adeò tantùm abeſſe putamus, Pontificem voluiſſe in prædicta ratione aliquid definire; vt potius certũ ſit, ipſum nihil definire ibi cōtra noſtrã ſententiam. Hoc enim modo ſecundam rationẽ ibi proponit, non aſſerẽdo, ſed quaſi diſputando: *præterea, pœna originalis peccati eſt carẽtia viſionis Dei; actualis vero pœna peccati eſt, gehẽnæ perpetuæ cruciatus: unde ſi dimitteretur alicui primum, altero non dimiſſo, talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum; & cruciaretur in gehẽna perpetuò, propter reatũ criminis actualis. Sed hæc tanquam incompoßibilia ſeſe mi-*

nime

nimè patiuntur, imò ſibi mutuò aduerſantur.

5 In qua ratione; rectè dicitur pœnam peccati originalis eſſe, carentiam viſionis Dei; ſed non ſolùm eſſe eius pœnam hanc carentiam, cum beato Auguſtino contendimus; in quo pontifex nobis non aduerſatur, qui nihil de hoc determinat. Sicut verè affirmantibus præter cruciatum gehennæ, carentiam viſionis Dei, mortali actuali deberi; nihil ipſe aduerſatur, quamuis ibi ſolùm dicat, eidem actuali cruciatum gehennæ deberi. Proinde eam rationem cum gloſſa ibidem, ſuperficialem putamus: in reprobo enim fideli, ſine aliqua incompatibilitate videmus originale per baptiſmum dimiſſum, ſiue ablatum, & peccatum actuale mortale, quod poſt commiſſit, cruciatu gehennæ, & ſimul carentia viſionis Dei punitum. Sic etiam in adulto dormiente vel amente ſi (per impoſſibile) non dimiſſo actuali, ab eo originale tolleretur; actuale vtraque pœna, gehennæ ſcilicet cruciatu, & carentia Diuinæ viſionis in perpetuum puniretur, ſi in eodem actuali vitam finiret.

Examinatur authoritas illa beati Auguſtini ex lib. 3. de libero arbit. oſtenditurque, magis ex ea impugnari, quam iuuari, iſtorum modernorum opinionem.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quidam locus Auguſtini quē opponunt aduerſarij potius ipſis refragatur quam fauet.

1 AD noſtrum ſanctiſſimum & ſapientiſſimum Magiſtrũ veniamus, cuius verba in illo libro 3. de lib. arbit. c. 23. hîc ſubijcere placet, vt eorum genuinum ſenſum, ea ſcribendo, & legendo, diligẽtius inquiramus. *Dicunt imperiti* (ait) *Quid opus erat, vt naſceretur, qui antequã iniret vllũ vitæ meritũ, exceſſit è vita? aut, Qualis in futuro iudicio deputabitur, cui nec inter iuſtos locus eſt, quoniã nihil rectè fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccauit? Quibus reſpõdetur, Ad vniuerſitatis cõplexum, & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora ordinatiſſimã connexionem, non poſſe ſuperfluò creari qualemcumque hominem, vbi folium arboris nullum ſuperfluò creatur: ſed ſanè ſuperfluò quæri de meritis eius, qui nihil meruerit. Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potue-*

potuerit media quædam, inter rectè factum, atque peccatum, & ſententia Iudicis media eſſe non poßit inter præmium, atque ſupplicium.

2 Ad hanc authoritatem dicendum, eos modernos fruſtra laborare, qui ex ea contendunt Auguſtinum trahere in ſententiã Scholaſticorum, de paruulis ſine baptiſmo morientibus; vt patet ex cõmuni eorundem Scholaſticorum, qui ſe in ea opinione ab Auguſtino deficere fatentur, & conſtat etiam ex tam multis principiis, hactenùs à nobis adductis, vnde clarè demonſtrauimus, eum eſſe cõtrariæ ſententiæ, ita, vt putet dubitari nõ licere paruulos illos poſt Iudicium, puniẽdos fore, morte ſecunda; ac conſequenter pænâ ignis; quia ſecundũ Scripturas, mors ſecũda, eſt ſtagnum ignis. Vnde ſi apertè doceret in illo lib. 3. de liber. arb. eos eſſe immunes à pœna ignis, ei poſtea in libris retractationũ opus nõ eſſet illud retractare; cum in illo ſermone 14. de verbis Apoſtoli, & in tot aliis libris à nobis ſuperiùs citatis, poſt libros de libero arbitrio, & ante libros retractationum ſcriptis, contrarium manifeſte docendo, illud primum

retra-

retractare, & improbare ſatis ſe declaraſſet.

3 Sed eſto, gratis admitteremus Auguſtinum in eo libro fixè docuiſſe, ſententiam iudicis eſſe mediam, de paruulis ſine baptiſmo decedentibus, ita, vt ſicut nec præmio gloriæ, ſic nec pœna ignis, ſed ſola damni pœna afficiantur; & eum ibi hoc definijſſe, vt iſti moderni volunt: An non inde forte ſequeretur, eoſdem paruulos, vt ſic à Dei viſione tantùm excluſos, ſecundum Auguſtini ſentētiam, eſſe damnationis expertes; atque adeò ſolam à Dei viſione excluſionem; nō poſſe dici paruulorum damnationem? quia Epiſt. 28. Auguſtinus apertè teſtatur, ſe in illo lib. 3. nihil de præfatorum paruulorum damnatione dixiſſe. *Nam & de baptiſmo paruulorum* (inquit in eodem epiſt.) *non quidem ſufficienter, ſed quantum illi operi ſatis eſſe videbatur, vtcumque reſpondi, quod etiam neſcientibus, & fidem ſuam nondum habentibus, prodeſt non tamen de damnatione eorum paruulorum qui ſine illo ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putaui, quia non quod nunc agitur agebatur.*

Auguſt.

Si ergo

4 Si ergo nihil de paruulorum ſine baptiſmo emigrantium damnatione in illo libro dixit, vt ipſe apertè in citato teſtimonio docet; & tamen, ſecundum iſtos modernos, in eodem libro dixit paruulos illos, ſicut à pœna ſenſibili ignis liberos, ita & à præmio, ſiue à viſione Dei excludendos fore: quomodo illorum damnatio in ſola excluſione à Dei viſione conſiſtere poterit? Si enim Auguſtinus ibi nihil dixit, vt ipſemet affirmat, de eorum damnatione, & tamen ibi dixit (vt iſti aiunt) de eorum à regno excluſione; an non hinc colligere licebit ipſum omnino ſenſiſſe paruulorum excluſionem, non eſſe eorum damnationem? aliàs falsò aſſereret, ſi putaret excluſionem eſſe damnationem, ſe nihil dixiſſe de eorum damnatione, cum dixerit (ſecundum iſtos) de eorum à regno excluſione. An indè etiam ſequetur, Auguſtino teſte, omnes affirmantes paruulos illos nihil pœnale habituros præter excluſionem à Dei viſione; euacuare in eis damnationem? quia eis, ſi conſequenter loqui vellent,

X negare

Digitized by Google

negare tenentur mortem ſecundam, quæ eſt ipſa damnatio, teſte eodem Auguſtino libr. 20. de ciuit. cap. 6. & 9. & ſæpiſſimè aliàs, vt infrà videbimus. An igitur qui illam opinionem beato Auguſtino ſupponunt, ipſum in illo lib. 3. vel negaſſe illorum paruulorum damnationem, vel ſaltem de ea tunc dubitaſſe, dicere conuincantur?

5 Sed audiamus de hoc, ipſummet ſanctiſſimum Magiſtrum, ab hac inuidia ſe purgantem: cum enim Maſſilienſes id ipſum ei obijcerent: reſpondit eis, de dono perſeu. cap. 12. ſequentibus verbis; *Fruſtra itaque* (inquit) *mihi de illius libri mei vetuſtate præſcribitur, ne agam cauſam, ſicut debeo agere, paruulorum; & inde gratiam Dei non ſecundum merita hominum dari, perſpicuæ veritatis luce conuincam. Si enim quando libros de libero arb. laicus Romæ cœpi, & in Aphrica presbyter explicaui adhùc de damnatione paruulorum non renaſcentium, & de naſcentium liberatione dubitarem; nemo vt opinor eſſet tam iniuſtus, atque inuidus, qui me proficere probiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe iudicaret,*

Auguſt.

Digitized by Google

caret, cum verò rectiùs poſsit intelligi, non me propterea de hac re dubitaſſe credi oportere; quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, vt ſiue pœna eſſet peccati originalis in paruulis, quod veritas habet; ſiue non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur: nullo modo tamen, quam Manicheorum error inducit, duarum naturarum, boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur; abſit vt cauſam paruulorum ſic relinquamus, vt eſſe nobis dicamus incertam, vtrum in Chriſto regenerati ſi moriantur paruuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam; quoniam quod ſcriptum eſt, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines tranſiit; aliter rectè intelligi non poteſt; nec à morte perpetua, quæ iuſtiſsimè eſt retributa peccato, liberat quemquam puſillorum atque magnorum, niſi ille, qui propter remittenda & originalia, & propria noſtra peccata mortuus eſt, ſine vllo originali, proprioue peccato. Hucuſque ſanctiſſimus Doctor. Rom. 5.

6 Habemus igitur ibi manifeſtam beati

Auguſtini proteſtationem poſt libros retra-ctationum ſcriptam, qua proteſtatur ſe in libris de liber. arbit. de illorum paruulorum damnatione minimè dubitaſſe, & nulli licere dubitare, an paruuli, qui ex hac vita ſine liberatione emigrant, tranſeant in mortem ſecundam; quam eſſe punitionem ſempiternam, qua anima cum corpore ſuo in gehenna igne, æternaliter cruciatur, ex eodem Auguſtino latiſſimè ſuperiùs oſtendimus, & inferiùs rurſum repetemus. Quid igitur prodeſt quibuſdam Modernis, illam Auguſtini authoritatem ex libris de libero arbitrio, ipſi Auguſtino, eiuſque manifeſtiſſimæ ſententiæ, tanquam magnum aliquid, & ab eo, vt gloriantur, numquam retractatum, opponere, cum indè ipſi potius comprimantur, quàm ſubleuentur; & quà ampliùs feriantur, ac nudentur? Ex occaſione enim illius authoritatis, coacti ſumus requirere in Auguſtino illa alia loca, in quibus affirmat ſe in eo libro nihil de damnatione illorum paruulorum tractaſſe; vndè ſequi videtur, excluſionem à Dei viſione,

quam

quam Auguſtinus eiſdem paruulis ibi, ſecundum hos modernos, tribuit, non poſſe eſſe ſecundum ipſum, paruulorum damnationem. Præterea, ex eadem occaſione incidimus in illam apertã proteſtationẽ ab Auguſtino in fine vitæ factam, qua firmiter proteſtatur & credit paruulos nõ regeneratos, ſi ſic moriantur, tranſire in mortem ſecundam. Quid autem ſit mors ſecunda, Scriptura ſancta conſulta reſpondet eſſe ſtagnum ignis, in quod paruulos non regeneratos ex hac vita decedentes tranſire tam perſuaſum eſt Auguſtino (vt ex illo loco clarè colligi poteſt) quàm paruulos in Chriſto regeneratos ex eadem vita decedentes tranſire in vitam æternam: quod infallibili fide idem Sanctus Doctor cum Eccleſia credebat; verba enim ipſius in eo loco ſunt: *Abſit, vt cauſã paruulorum ſic relinquamus, vt eſſe nobis dicamus incertum, vtrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur paruuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam.*

Apocal. 20. 14. 21.8.

Refellitur quædam obiectio, indagaturque genuinus illorum verborum beati Auguſtini ſenſus.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Supradictus locus ex Auguſt. amplius enucleatur.

1 SEd adhùc ſupradictus Auguſtini locus multum vrgere videtur, quia ipſe affirmat non eſſe metuendum, ſi vita poteſt eſſe media inter rectè factum & peccatum, ſententiam iudicis, mediam eſſe non poſſe inter præmium, atque ſupplicium: ſed vita illorum paruulorum, ex hoc ſæculo emigrantium, eſt media inter rectè factum, & peccatum, vt ibi rectè factum, & peccatum accipiuntur (ibi enim intelliguntur rectè factum & peccatum pro actionibus proprijs meritoriis vel demeritoriis paruulorum) vt patet ex illis verbis; *Quid opus erat, vt naſceretur, qui antequam iniret vllum vitæ meritum*, &c, & ex illis aliis, *ſuperfluò quæri de meritis eius, qui nihil meruerit*. ergo vel illa Auguſtini reſponſio, falſa eſt, quod admittere, diſcipulo eius indignum eſſet; vel ſententia iudicis

iudicis de eiſdem paruulis, ſecundum ipſum, media eſſe debet inter præmium & ſupplicium, ità vt ſicut nec præmio eos afficiat, ſic nec ſupplicio, quod non de ſupplicio excluſionis, ſed ignis intelligi debet.

2 Contra tamen non minùs moleſtè obijci poteſt, ſupradictam noſtram diſputationem huic ſenſui vehementer obſtare, nam ſi Auguſtinus ibi firmiter aſſeruit (vt iſti moderni contendunt) paruulos ſine baptiſmo morientes, afficiendos fore nullo ſupplicio, nullâuè pœnâ, præter excluſionem à regno ſeu à Dei viſione; cum alibi teſtetur ſe nihil de eorum damnatione ibi dixiſſe, ſequetur illam excluſionem, ſi Auguſtino credatur, non eſſe damnationem eorum. Quærendum eſt igitur ab iſtis modernis, an non inde ſequetur, Auguſtinum in eo loco euacuaſſe illorum paruulorum damnationem; quam ipſe poſtea firmiſſimè in ſuis operibus contra Pelagianos cum Scripturis ſanctis defendit? An non etiã fortè ſimiliter ſequetur, omnes, qui nihil pœnale in paruulis illis poſt iudicium, præter illam excluſionem fatentur, euacua-

terno, ex mortibus, & aliis miſeriis, ac incō-modis paruulorum, quæ eis euenire dicebāt, ab illo mali principio propter illam cōmixtionem duarum naturarum; vt teſtatur Auguſtinus lib.6. contra Iulian. cap.9.

4 Contra iſta igitur Manichæorum venena, diſputatio Auguſtini in illis libris de lib. arbit. ſuſcepta eſt; contra quos agendum erat, non Scripturis, quas in authoritate minimè habebant, ſed rationibus, quæ ſufficientes viderentur (etiamſi verum eſſet ex libero arbitrio, mali originem non duci) ad oſtendendum eorum rationes, vel eſſe omninò falſas, vel inefficaces ad ipſorum intētum comprobādum, Deum ſcilicet eſſe culpandum, & principium illud mali coæternū Deo, introducendum. Quæ omnia ex beato Auguſtin. colliguntur de dono perſeu: cap. 11. *Cur autem* (inquit) *cauſam paruulorum ad exemplum maiorum, ſicut ſcribitis, non patiuntur afferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant eſſe peccatum originale, quod per vnum hominem intrauit in mundū, & ex vno omnes iſſe in cōdemnationē? quod & Manichæi*

non accipiunt; qui non ſolùm omnes veteris inſtrumenti Scripturas in nulla authoritate habent, verùm etiam eas, quæ ad nouum pertinẽt teſtamentum ſic accipiunt, vt ſuo quodam priuilegio, imo ſacrilegio, quod volunt ſumant; quod nolunt, reijciant. Contra quos agebam in libris de libero arbitrio, vnde iſti nobis præſcribendum putant; ideò quæſtiones operoſiſſimas incidentes enucleatè ſoluere nolui, ne nimium longum opus eſſet, vbi me aduerſus tàm peruerſos teſtimoniorum Diuinorum non adiuuabat authoritas; & poteram, ſicut feci, quodlibet horum verum eſſet, quia non definitè interponebam; certâ tamen ratione concludere, in omnibus Deum eſſe laudandum, ſine vlla neceſſitate credendi duas, ſicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas eſſe ſubſtantias.

5 Rectiſſimè igitur & ſapientiſſimè reſpondet Auguſtinus, illi calumniæ iſtorum Manichæorum, qui ad culpandum Deum obijciebant, ſuperfluò creari paruulos illos, qui antequam ineant vllum vitæ meritum, excedunt è vita; & quibus idcirco, vt dicebant, locus eſſe non poteſt, nec cum iuſtis, quia

Supra, initio ca. 16.

quia nihil boni fecerunt ; nec cum malis, quia nihil etiam peccauerunt : rectiſſimè inquam reſpondet *non eſſe metuendum ne vita eſſe potuerit media, inter rectè factum & peccatum, & ſententia Iudicis media eſſe non poſsit, inter præmium atque ſupplicium.* In qua reſponſione attentè ponderandum eſt, ſanctiſſimum Magiſtrum noluiſſe expedire eam Manichæorum obiectionem, dicendo paruulos, qui moriuntur ſine baptiſmo, ire in damnationem, ac conſequenter eſſe cum malis; quamuis pœnis diſparibus puniantur: illi pro ſolis alienis peccatis, iſti ſemper pro propriis: paruulos verò qui baptizantur conſequi ſalutem; ac conſequenter eſſe cum juſtis adultis, quamuis aliter gloriam conſequantur, quàm illi, per modum ſcilicet ſolius miſericordiæ & non mercedis, ſicut illi. Quid enim ipſe tali reſponſione efficeret apud tam peruerſos, qui nihil de peccato originali, aut de baptiſmi gratia credebant: quique conſequenter nihil commodi, vel incommodi ex alieno facto, ſiue Adami peccantis, ſiue miniſtri baptizantis, paruu-

Digitized by Google

los reportare volebant? Sola enim opera propriæ actionis homini imputari, vel ad bonũ vel ad malum, credebant: vt ex illa eorum obiectione de paruulis, clarè patet.

6 Quibus propterea reſpondet Auguſtinus, eorum rationẽ non conuincere Deum culpari deberi vt ſuperfluè operantem, quãuis creet illos paruulos: quia ſi ipſorum vita eſt media inter propriam actionem merẽdi, & demerendi; eius ſentẽtia poteſt eſſe media, vt nec tribuat eis gloriam pro illa vita propria & media, tamquã mercedem (quæ correſpõdere debet propriæ actioni bonæ, quæque ibi ab Auguſtino vocatur præmiũ) nec etiam infligat eis pro eadem vita propria & media punitionem, demerito propriæ actionis debitam, quam ibi ſignificat per ſupplicium. In hac igitur reſponſione determinare nolebat, quid paruuli morientes, ſiue baptizati, ſiue non baptizati, de facto habituri eſſent, gloriæ vel pœnæ, pro factis alienis, aut primi parentis eos vitiantis, aut miniſtri eos regenerantis; hoc enim dependebat à principiis, quæ Manichæi non admittebant,

bant,quæq;ideò tunc intēpeſtiuum fuiſſet enucleare: nec etiam illud tunc ab eo quæſitum fuit, aut ipſe ſibi ſoluendum propoſuit; ſed in quo loco futuri eſſent, quando nec cum iuſtis, nec cum malis futuri eſſe poſſent, qui nihil boni aut mali fecerunt? Ad quod reſpondere ſufficiebat, ſi ipſorum vita propria, media erat (vt Manichæi obijciebāt) inter actiones bonas & malas; ſententiam Iudicis mediam eſſe poſſe, vt nec eos propter illam vitam collocet cum bonis, vt honorentur coronâ gloriæ, ſiue mercede, quæ bonis adultis datur; nec cum malis, vt torqueantur valdè atrocibus, ac vehementer intenſis ignis, flammis, ſicut ipſi mali majores, ſeu adulti.

7 Ex quo non ſequitur Auguſtinum, eâ reſponſione determinaſſe, paruulos morientes ſi non baptizantur, quorum vita eſt media inter actiones proprias bonas, ac malas, non futuros cum malis; ſolùm enim ex ea ſolutione inferri poteſt, illos paruulos ſecundū Auguſtinum nō futuros cum malis, eo modo, quo mali, in pœnis videlicet atrocibus,

propter propria demerita, quod ibi per ſupplicium ſignificatur. Sicut, ex eadem ſolutione, de paruulis baptizatis, quorum vita eſt media inter actiones proprias bonas & malas, non ſequitur, illos non futuros cum iuſtis; ſed ſolùm non futuros cum eis, eo modo quo ipſi iuſti maiores; hoc eſt, fruēdo gloriâ, tanquam coronâ, & mercede propriæ actionis; vt ibi per præmium ſignificatur.

8 Vel dicendum eſt, Auguſtinum in illis verbis (*inter præmium & ſupplicium*) ſignificare per præmium, vitam æternam, ſiue conſideretur per modum mercedis & coronæ iuſtitiæ, ſiue per modum ſolius miſericordiæ; & ſignificare per ſupplicium, mortem ſecundam, ſeu damnationem æternam; ſenſumque eius ibi eſſe, ſententiam Iudicis de paruulis poſſe eſſe mediam, vt nec ad gloriam, nec ad damnationem eos mittat, ſed ad aliquem alium medium locum inter beatitudinem & miſeriam; ſi eorum vita ita eſt media inter rectè factum & peccatum, vt nihil habeat boni, vel mali, meritorij aut demeritorij, ex opere proprio, aut alieno rectè facti

vel

vel peccati ; ſicut Manichæi credebant omnes paruulos ita eſſe medios, vt nihil meritorium, vel demeritorium haberent ex ſe, vel ex Adamo peccante, aut miniſtro baptizante.

9 Conſtat ergo Auguſtinum nihil in ea reſponſione determinaſſe, de pœnis peccati originalis in paruulis, ex hac vita cum eo emigrantibus, aut de eorumdem pro originali, damnatione; à qua tunc quæſtione conſultò abſtinuit, vt ipſe teſtatur in illa Epiſtola 28. Vndè quid Scholaſticos hos, locus ille iuuat, non video. Proindè, non de antiquitatis, aut Patrum patrocinio ſibi in poſterum blandiantur, qui potiùs eis manifeſtè refragantur, docentes ex Scripturis ſanctis, mortem illam, quæ à Deo fuerat comminata Adamo, in quo omnes erant, non tantùm ipſam primam, vbi anima & à Deo & à corpore ſeparata punitur, ſed quidquid mortis eſt, vſque ad nouiſſimam, quæ ſecunda dicitur, complecti. Iidem enim Sancti Patres mortem ſecundam eſſe ſtagnum ignis ex Scripturis didicerunt: qui ſimiliter damnationem

tionem illã æternam vltimã ſcilicet vniuſcuiuſque ac totalẽ, in quam ex vno, ſecundum Paulum, prædicãt ire omnes, non aliam nouerunt quàm eandem mortem ſecundam; vt iam vidimus, & infrà latiùs oſtendemus.

Alia Aduerſariorum argumenta refelluntur, quæ omnia eò tendunt, vt prædicti paruuli ab omni moleſtia liberentur, atque adeò à gehenna.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Refelluntur quædam argumenta negantium pœnam ſenſus non regeneratis paruulis deberi.

1 FRuſtrà igitur nonnulli, magni licet Theologi, cruciatus illorum paruulorum, humano miſerantur affectu, dura quæque molliendo, & philoſophicis rationibus innixi, omnia eorum in leniorem partem flectendo; cum ſtupendum illud beatiſſimi Auguſtini ingenium (myſteria fidei noſtræ in Sanctis Scripturis pęnetrando, omnibus mortalium ingeniis, poſt authores Canonicos, longiſſimè præferendum) ſuis ingeniis anteponere meritò debuiſſẽt. Vnde rejciendum eſt, id quod dicunt, *paruulos non triſtari,*

triſtari, ob amiſſionem beatitudinis, quia ſcient ſe ad eam numquam habuiſſe proportionem, cum nec habuerint gratiam, nec in via vſum arbitrij; quare (inquiunt) *inordinatum eſſet ſi dolerent ſe illud bonum non habere, quod numquam potuerant adipiſci: ſicut inordinatum eſſet ſi aliquis ruſticus doleret ſe regnum non adipiſci.*

2 Iſta enim̃ fruſtrà dicuntur, quia quamuis paruuli illi in ſe non habuerint proportionem ad beatitudinem̃, habuerunt tamen eam in primo parente, cum gratia fuiſſet ipſi pro ſe & ſuis poſteris donata. Vnde cum ipſi ad beatitudinem quam, naturaliter amant, creantur, quam Adamum ſibi ipſi & eis perdidiſſe ſcient, prorſus triſtabuntur: idemque ruſtico, quantum ad inclinationem naturæ, ſeruatâ proportione, contigiſſet, quoties de regno opulentiſſimo cogitaret, quod non in ſe, ſed in auo, aut proauo perdidiſſet.

In quo habuerint paruuli eiuſmodi. proportionem aut libertatem ad obtinẽdum regnũ cælorum.

3 Nec minus improbandũ eſt illud aliud quod affirmatur, *ideò paruulos non triſtari, quòd non cognoſcent ſe ad beatitudinẽ ordinatos,*

cum id non niſi per fidem cognoſci poſſit, & ipſi fidem numquam habuerint. Eodem enim argumento probarent adultos infideles, qui in ſua infidelitate moriuntur, non habituros notitiam in iudicio de Chriſto Deo homine, iudice viuorum & mortuorum, vel de beatis, aut de amiſſione regni cœlorum, nullamque ſic triſtitiam habituros de ſuo exilio. Quæ omnia Scripturis ſanctis aduerſari videntur; *Videbunt in Iudicio impij in quem pupugerunt; plangentque ſe ſuper eum; Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, &c. nos inſenſati vitam illorũ, æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*, Audient igitur omnes Impij, qui in ſiniſtra erunt, ſiue puſilli, ſiue magni, & intelligent vocem Domini Iudicis vniuerſalis ſententiam proferentis. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*: & ſimul ad iuſtos, qui in dextra erunt, dicentis, *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Zachar. 12. Sapient. 5.

4 Cogno-

Digitized by Google

4 Cognoſcent ergo omnes, vt vniuerſalis ſententiæ æquitas neminem lateat, pro exiſtentibus in ſiniſtra, propter peccata, vel quæ originaliter traxerunt, vel quæ malis moribus cōmiſerunt, pœnas æternas eſſe; & pro exiſtentibus in dextra, vitam æternam eſſe præparatam; atque adeò completo illo iudicio, duas ciuitates peruenire ad ſuos fines, vnam Chriſti, alteram Diaboli, vnam bonorum, alteram malorum; finemque ciuitatis Chriſti, Siue bonorum, eſſe vitam æternam, quod eſt ſummum bonum, vt notauit Auguſt. libr. 19. ciuit. cap. 4. finem autem malorū, ſiue ciuitatis Diaboli, eſſe mortem æternam, quæ ſummum malum eſt, cuius ciuitatis omnes inhabitatores, ſiue adulti, ſiue paruuli, quia aliam ciuitatem, quam naturaliter amant, perdiderunt, in æternum ſine conſolatione triſtabuntur.

Poſt vniuerſale iudicium futura ſunt tantū duæ ciuitates, Chriſti nimirum & Diaboli.

5 Ad eos, qui ad prouidentiam Dei particularē recurrūt, quæ (inquinut) paruulos triſtari non permittet, non eſt opus reſpondere, cum ipſi pro libito ſine alia probatione velint potius prouidentiam Dei ſententiæ

Inaniter aſſeritur huiuſmodi paruulos ſpeciali Dei prouidētiā ab omni triſtitia cōſeruari immunes.

Digitized by Google

Scholaſticorum communi accommodare, ne eis contradicere videantur, quàm veram Dei prouidentiam de iſtorum paruulorum pœnis in theſauris ſapientiæ Auguſtini inueſtigare. Quamquam iſti excuſabiliores videantur, quia de hoc nihil affirmant, aliis, qui & Auguſtini ſententiam falſitatis accuſant, & oppoſitæ ſententiæ intrepidè adhærent; illiſque in hoc gratulandum eſſe cenſemus, quòd viderunt atque iudicauerunt rationes ſuorum Commagiſtrorum eſſe omninò inefficaces; aliàs ipſi ad illam particularem prouidentiam excogitandam minimè recurrerent.

Contra multos Theologos vnus ſufficit Auguſtinus.

6 Ad id quod de authoritate prædictorum Theologorum obijcitur; Reſpondeo, vnum beatum Auguſtinum mihi ſufficere pro eis omnibus; imò ſupra eos omnes, ad ipſum confugio; ad ipſum ab omnibus, qui aliud in hac controuerſia ſentiunt, prouoco: dent veniam aduerſarij. Ego incomparabiliter magis credo ei vni, in puriſſimis Sanctarum Scripruratum fontibus, atque in abditiſſimis naturæ ſinibus

bus ſuo diuinitùs aureo ingenio veritatem indaganti,& ex eis ſuum intentum colligenti ac aſſerenti, quàm ingenti Theologorum multitudini qui ſe ei opponere vellent, qui ſi omnes ſeſe in facies verterent , & quidquid animis ac arte valerent , collatis ſimul viribus , contraherent, vnum ex libris, quos ipſe ſcripſit , verbi gratia de corrept. & gratia , aut de gratia & libero arbitrio , aut de prædeſtinatione Sanctor. aut de bono perſeu. aut contra Secundinum, aut vigeſimũ ſecundum contra Fauſt. aut decimum nonum ciuitatis Dei, vel alium paris profunditatis atque eruditionis libellum vehementer mirarer ſi ſe ſcribere poſſe affirmarent. Tali igitur Magiſtro, quẽ Deus vniuerſæ Eccleſiæ fidei doctorem ac defenſorem prouidit, fortiter adhærendo , me non ambigo ſecuriùs progreſſurum, quàm ſi eo relicto Philoſophicis , ac Metaphyſicis ſubtilitatibus ſitienter nimis inhiarem, ab eiſque enodationem abſtruſarum in Theologia quæſtionum , (ſicut aduerſariorum nonnulli faciunt) petere non dubitarem.

7 Quod ſi vniuerſam tãti Magiſtri doctrinam longè ſupra aliorum Theologorum literas admiror, atque veneror; cur non eius doctrinam contra Pelagianos toties à ſede Apoſtolica approbatam, & conſequenter eius ſenſum in hac controuerſia, in qua mirabiliter contra eoſdem Pelagianos deſudauit, neglecto aduerſariorum contrario ſenſu, firmiter amplecterer? maximè cum in ea tam maniſeſtè ex Scripturis & conſiliis probetur prædictos paruulos pati in futura vita pœnam carceris, pœnam que ſub Diabolo ſeruitutis; & conſequenter non ſolùm pœnam exilij, ſiue excluſionis à regno Cœlorum, vt prædicti contendunt, ſed etiam inſuper pœnam æternæ triſtitiæ; imò & ſecundæ mortis, & per conſequens ignis æterni, ſiue gehennæ, ſine qua in illis peccatum originale euacuari, iudicetur an fortè neceſſariò ſequatur.

Autho-

Digitized by Google

Authoritas Doctrinæ beatiſsimi Auguſtini ponderatur, oſtenditurque Scholaſticas opiniones ei præiudicare non poſſe.

Capvt Decimvmnonvm.

1 Dicetur, ex ſenſus præfatorum autorum in hac controuerſia improbatione, ſequi ipſos iam à quingentis ferè annis damnatum errorem tenuiſſe, & plurimos doctiſſimos viros hoc tempore etiamnum tenere; quo ſemel conceſſo, vlteriùs ſequetur Eccleſiam penè totam in eodem errore fuiſſe. Nam populus Chriſtianus vbique terrarum tenet, quod à ſuis parochis & Epiſcopis docetur: Hi autem docent, quod à Doctoribus in Scholis audiuerunt, vel quod in eorum ſcriptis legerunt; atque Doctores per quingentos annos, & multò fortè ampliùs docuerunt vnanimiter, vel ſaltem communiter, paruulos decedentes ſine baptiſmo, non ſolùm non puniri pœna ignis, ſed nec aliquo dolore ſiue externo, ſiue interno; imò & beatitudinem naturalem habituros; quod *Obiectioni cuidam ſatiſfit.*

ex iiſ-

Digitized by Google

ex iiſdem principiis ſequi videtur, vt infrà annotabimus.

2 Ad hoc reſponderi poſſet, quod ſi Eccleſia penè tota in dogma aliquod tamquàm in aliquid fidei conſentiret; credendum eſſet quod ipſa hoc non inaniter crederet, etiamſi Canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferretur authoritas: vt rectè Auguſtinus in ſimili, Epiſtola 99. Paulo poſt initium. Quià tamen certum eſt non omnes illos Theologos illam ſententiam tanquam fidem docuiſſe aut propoſuiſſe; cum ex eis nonnulli affirmẽt illos paruulos puniri pœnâ triſtitiæ, alij probabile putent puniri pœnâ ipſius ignis; alij condemnent illam beatitudinem naturalem tamquam Pelagianiſmum: certum etiam erit non ſolùm non Eccleſiam penè totam, ſed nullam eius partem notabilem errauiſſe. Vnde Eccleſia penè tota (vt ſupra obijciebatur) errare nequaquam cõuincitur. Quod ſi magna Eccleſiæ pars in aliqua obſcura quæſtione, in qua ſaluâ fide qua Chriſtiani ſumus, ignoratur quid verum ſit, hæſitaret, & ſententiam definitiuam ſuſpenderet, aut

aliter

aliter quàm eſt, humanâ & infirmâ ſuſpicione conijceret: erroris in fide, ſeu criminis hæretici dogmatis certè minimè condemnanda eſſet; aut ſi opinione, quæ vera putaretur, deinde reiectâ, quando falſa detegeretur, oppoſitum ipſa amplecteretur, ſicut Eccleſia noſtra Occidétalis, quæ ſentire ſolebat propaginem animarum, teſte Hieronymo apud Auguſtinum Epiſtola 157. à nemine taxanda eſt erroris in fide, quia ea opinione reiecta, nunc ſentit animas de nouo creari, nullâ ductâ ex anima Adæ propagatione.

Quandò contingit duci aliquid erroneum ſine errore in fide.

3 *De quibuſdam enim rebus* (vt rectè Aug. li. 19. ciuitatis c. 18.) *quas neque ſenſu, neque ratione percepimus, neque nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per teſtes, quibus non credere abſurdum eſt, in noſtram notitiam peruenerunt, ſine iuſta reprehenſione dubitamus.* Quis enim neſcit in multis quæſtionibus, ſiue ad obſcuriſſima opera Dei, ſiue ad Scripturarum abditiſſimas latebras pertinentibus, pleroſque ſine iactura fidei, (quia non fallaciter, ſed ſinceriter corrigi parati erant) opinatos fuiſſe

quod probabile putauerunt, in ſimilibus enim quæſtionibus ſi fortè quis à veritate deuiauerit, tamdiù (teſte prædicto magiſtro de vera religione c. 6.) *ſuſtinetur donec aut accuſatorem inueniat, aut prauã opinionem pertinaci animoſitate defendat.* Vnde idem author lib. 3. de origin. animæ c. vltimo ad Vincentium Vict. loquens, ſcribit: *nam hæc ſi pertinaciter ſingula defendantur, tot hæreſes facere poſſunt, quot opiniones eſſe numerantur, &* paulò infrà. *Abſit autem, vt te arbitreris hæc opinando à fide Catholica receſſiſſe, quamuis ea fidei ſint aduerſa Catholicæ, ſi coram Deo, cuius in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixiſſe reſpicis: non te tibi ipſi eſſe credulum probari ea quæ dixeris poſſe, ac ſtudere te ſemper, etiam propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur, eo quod ſit tibi cordi proprio damnato iudicio meliora magis, & quæ ſint veriora ſectari. Iſte quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non Catholicis, ipſa eſt correctionis præmedicatione, ac præparatione Catholicus.* & lib. 4. de bap. contra Donat. c. 16. *conſtituamus,* inquit, *duos aliquos iſto, modo vnum*

eorum

Digitized by Google

eorum: verbi gratiâ, id ſentire de Chriſto, quòd Phot. opinatus eſt, & in eius hæreſi baptizari extrà Eccleſiæ Catholicæ communionem: alium verò hoc idem ſentire, ſed in Cathholica baptizari, exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem: iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit; & paulò pòſt: *itaque in hoc ſola falſa opinio, in illo autem, etiam ipſa diuiſio corrigenda eſt.* Quis ergo de authoribus Catholicis, quos in tot Scripturarum, & Auguſtini principia vigilanter intentos non fuiſſe, jam conſtat, tam iniquè judicare præſumet, vt putet alicui eorum defuiſſe ſupradictam animi præparationem: quam qui habuit, ſi temeritate affirmandi, aut libidine contendendi, ſeu puerili ſtudio aduerſarium vincendi; aut animoſitate ſe, aut ſuum magiſtrum Auguſtino in Eccleſia, tantæ authoritatis doctori præponendi, aut alio ſimili modo non exceſſerit, ſola in eo falſa opinio corrigenda videtur; vt ex eodem Auguſtino ſæpiſſimè colligere licet.

4 Nulla igitur vetuſtas Scholaſticarum

Quāta ſit Auguſtini apud Eccleſiam autoritas.

opinionum, quantùmcumque inter earum defenſores propagatarum, atque etiam ab Eccleſia toleratarum, quæ ſimiles opinantes in dubijs aut obſcuris tolerare ſolet, quoуſque multis hinc atque hinc diſputationibus, aut peritorum collationibus, veritas eliquetur ac declaretur. Nulla (inquam) talis vetuſtas Eccleſiam impedire poteſt, vt in eiſdem opinionibus examinare non poſſit, an fortè à veritate deuiauerint, vt ex ijs quæ habet Auguſtinus libro 2. de baptiſmo contra Donat. cap. 3. & 4. colligitur. Non ergo terreant aliqui Eccleſiam, (vt quidam ſimilibus ratiunculis in alia quæſtione terrere videntur) ab improbatione quarundam opinionum, quæ certiſſimè beatiſſimo Auguſt. contrariæ reperientur, quantùmcumque ab eis prædictæ opiniones irreprehenſibiles putantur, ob temporis quo ab earum fautoribus defenſæ ſunt, diuturnitatem, aut fortè ob authorum earumdem opinionum à ſede Apoſtolica laudationem. Quis enim iſtorum Theologorũ, aut quæ eorum doctrina beatiſſimo Auguſt.

aut

Digitized by Google

aut eius doctrinæ, in his duobus, etiam de lõginquo, comparari queat? Doctrinam enim Auguſtini ante mille annos Eccleſiæ Romanæ ſanctiſſimi ac doctiſſimi Pontifices admirati ſunt, miriſq; laudibus ſublimarũt. Innocẽtius, Zozimus, Bonifacius, Celeſtinus, Sixtus, magnus Leo, magnus Gregorius, Ioannes, Hormiſda. Ex quibus aliqui teſtantur ex ſtatutis ſuorum prædeceſſorũ Romanã Eccleſiam, eam ſeruare & ſequi; & partem eius ſuam feciſſe, ex qua tot definitiones, infallilis deinde authoritatis, verbatim deſumpſit.

5 Nec eidem doctrinæ aduerſarius ipſe, quantumcumque inuidus, obijcere poteſt prædictos Pontifices ob affectum aliquem patriæ, cognationis, aut alterius ſimilis reſpectus, in partem Auguſtini propenſos fuiſſe: propter quod Gelaſium, quia Afer fuit, omiſi, atque breuitati ſtudens, alios poſteriorum ſæculorum Pontifices, quos citare poſſem, qui Auguſtinum ſummis efferebant laudibus. Quis igitur non videat, multum intereſſe inter ſedem Apoſtolicam, aliquem authorem ac doctrinam eius laudantem,

Quantum præcellat Auguſtini doctrina cæterorum libris & doctrinis.

& in Eccleſia legi non ſolùm permittentem, ſed & ſuadentem; & inter eandem ſedem non ſolùm Authorem aliquem, ac eius doctrinam laudantem; ſed & declarantem contra hæreticos, eam doctrinam vel partem eius, ſuam eſſe, Romanamque Eccleſiam ex ſtatuto ſummorum Pontificum eam ſequi ac ſeruare; quam Eccleſiam credimus falli, aut errare non poſſe? Quis autem auderet affirmare omnia opuſcula patrum quæ Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum, non ſolùm laudat, ſed & legenda Eccleſiæ vniuerſæ proponit, nihil à vero alienum continere; cum conſtet aliqua in aliquibus ex eis eſſe, quæ Eccleſia non recipit, ſed reſpuit? quale eſt illud apud Sanctiſſimum Cyprianum de rebaptizandis hæreticis. Aut quis ſanæ fidei crederet Pontificem Zoſymum approbaſſe venenoſa dogmata Cœleſtij; quia, teſte Auguſtino libr. 2. ad Bonifac. cap. 3. libellum in quo illa fidei venena continebantur, Catholicum eſſe dixit? quam Papæ Zoſymi de libello Cœleſtij locutionem, non fuiſſe dogmatum Cœleſtij approbatio-

bationem, rectè ibidem Auguſtinus notauit verbis ſubſequentibus. *Tot enim* (inquit) *& tantis inter Apoſtolicam ſedem & Afros Epiſcopos currentibus & recurrentibus Scriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem, Cæleſtio præſente & reſpondente, confectis: quænam tandem Epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zoſymi, quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit credi oportere ſine vllo vitio peccati originalis hominem naſci? nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omninò conſcripſit: ſed cum hoc Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet inter illa dumtaxat de quibus ſe adhuc dubitare & inſtrui velle confeſſus eſt; in homine acerrimi ingenij, qui profectò ſi corrigeretur plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt; & propterea libellus eius catholicus dictus eſt, quia & hoc catholicæ mentis eſt, ſi qua aliter ſapit quam veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac demonſtrata reſpuere. Non enim Hæreticis, ſed Catholicis Apoſtolus loquebatur, vbi ait, Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus; & ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelabit.* Philip. 3.15.

Nullo

Qualiter approb. Eccleſia aliquam doctrinam.

6 Nullo ergo modo intendit Eccleſia alicuius ſcriptoris doctrinam, quæ poſt confirmatum canonem ſcripta eſt (vt Auguſt. vbi ſuprà contra Donatiſt. loquitur) tantùm laudando, ac generaliter extra iudicium approbando, ſic firmare, vt de illa omninò dubitari, aut diſceptari non poſſit; aut vt nemini liceat eam expendere per diligentem inquiſitionem, vt, ſi fortè in aliquo à vero deuiaſſe dignoſcatur aut deprehendatur, in hoc reijciatur: ſed intendit ſuis encomijs ſcriptorem honorare quia fortè eruditionem Catholicam ſuis ſcriptis juuat; aut declarare ipſa ſcripta (ſi præcipuè cum ſubmiſſione ad Eccleſiam, vel à perſona Catholica & non ſuſpecta in lucem exeant) ex voluntate & intentione Catholici pectoris eſſe edita, quantùm ex verbis ſubmiſſionis, aut ex ipſo ſcripti contextu, non minutiùs, ſed ſecundùm probabilem modum diſcuſſo, colligere licet; aut eſſe omninò erudita, ſimulque acceptabilia, quandiu certius aliquid, vel ſaltem certum, ex documento certæ authoritatis, aut perſpicuæ rationis, non eluceſcit.

ceſcit. Non enim per ſolam laudem (vt dictum eſt) fixè determinat ſcripta ab ea laudata, ſi minutiùs excutiantur, quantùm excuti ſecundum Scripturas, ac manifeſtas rationes poſſunt, nihil falſi continere. Quamquam igitur Sedes Apoſtolica doctrinam alicuius tractatoris, Auguſtino prioris aut poſterioris, magnis laudibus efferret: perperàm indè inferretur eandem Sedem approbare, id quod in eadem doctrina contrarium fortè detegeretur doctrinæ illi Auguſtini, ab eadem Sede contra hæreticos firmatæ. Niſi quis inſulſè, imò & erroneè, vellet dicere eandem ſanctam Sedem ſe ipſam in authoritate firmandi doctrinam ſuperare, ac conſequenter ſuam authoritatem deſtruere, ipſam poſſe. Quid enim aliud affirmaretur, ſi vnus Pontifex doctrinam firmare diceretur, doctrinæ Auguſtini ab aliis Pontificibus indiſſolubiliter firmatæ, contrariam?

Digitized by Google

Aliud celebre principium reijcitur, examinaturque, an ſit de Pelagianiſmo ſuſpectum.

CAPVT VIGESIMVM.

1 AD Theologos illos, qui in hac paruulorum cauſa, de eorum poſt hãc vitam pœnis, à iudicio beatiſſimi Auguſtini ad tribunal Peripateticum, & iudicem Ariſtotelem appellãt, ex ipſo allegantes 3. Ethic. cap. 5 nullum eſſe dignum vituperio, ſeu increpatione, & conſequenter nec aliqua pœnâ ſenſibili, (quia talis pœna rationem quodammodò habet vituperij) niſi propter illa quæ in ſua ſunt poteſtate; quale arbitrantur non eſſe peccatum originale paruulorum, quod ex Adamo ad eos tranſit.

Philoſophi gentiles in rebus fidei ſunt ineptì iudices.

2 Reſpondeo, Auguſtinum & Eccleſiam non ſolùm in quæſtione de pœnis originalis peccati, ſed & in quæſtione de ipſo originali, cauſa iamdudùm caſuros fuiſſe (non quia in illis quæſtionibus veræ rationi, aut veraci philoſophiæ aduerſantur) ſi tribunali Ariſtotelis, vel alterius Philoſophi gentilis ſe ſiſterent;

Digitized by Google

rent; vbi à peccato, quod nullum alicuius ante actionem propriæ voluntuatis agnoſcerent; vel à vituperatione propter id, quod nobiſcum naſci diceretur, totum genus humanum abſoluerent: vt patet ex Ariſtotele loco citato; qui ibidem concludit, *vt virtutem ita & vitium eſſe in nobis*; ſiue in noſtra poteſtate; *ſeu vt boni & mali ſimus, & qui natura deformes ſunt, eos neminem reprehendere.* Quam doctrinam ſequitur Cicero libr. 3. de natura Deorum, ſub finem, *Virtutem* (inquit) *nemo vmquam Deo acceptam retulit; nimirùm rectè propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur; quod non contingeret, ſi donum à Deo, non à nobis haberemus*; & rursùm eodem libro *Num quis quòd bonus vir eſſet, gratias Diis egit vnquam? At quòd diues, quòd honoratus, quòd incolumis, Iouemque optimum maximum ob eas res appellauit, non quòd nos iuſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quòd ſaluos, incolumes, opolentos copioſos.* Idemque de vitio conſequenter docere tenetur, hoc eſt, non eſſe vitium, niſi in noſtra poteſtate ſit, quia propter id jure vi-

Digitized by Google

tuperamur; quod Ariſtoteles breuiter cõplexus eſt vbi ſuprà, vt virtutẽ ita & vitium eſſe in nobis, ſeu vt boni, & mali ſimus, eſſe in nobis, hoc eſt, in ſolo noſtro libero arbitrio vt Philoſophus ille gentilis ibi omninò intellexit, quia gratiam Dei neſciuit.

3 Super quam Philoſophorum doctrinã Pelagiani ædificauerunt ſuum peſtiferum dogma tàm contrà gratiam Chriſti, vt alibi oſtendimus, quàm contra peccatum originale, vt patet ex ipſo Pelagio, qui apud Auguſtinum in libro de peccato originali cap. 13. vtitur eodem argumento, ad deſtruendum ipſum peccatum originale, quo iſti moderni ex Ariſtotele nunc vtuntur ad negandã pœnam ſenſibilem eidem peccato debitam. Verba Pelagij apud Auguſtinum ibidẽ ſunt: *Omne* (inquit) *bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur à nobis: capaces enim vtriuſque rei, non pleni, naſcimur; & vt ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit.* Quibus verbis ſtatim Auguſti-

Pelagianis non parua fuit erraņdi occaſio quod plus æquo Philoſophicis rationibus inniterẽtur ad diuina myſteria explicanda.

Pelagius apud Auguſtinũ.

guſtinus ſubijcit; *Nempè cernitis, in his Pelagij verbis, quod dogma contineatur amborum,* (Pelagij & Celeſtij) *de paruulis ſine ullius vitij ex Adam contagione naſcentibus*. & paulò pòſt, *Si enim, ſicut dixit, malum nō nobiſcū oritur, & ſine vitio procreamur, & ante actionem propriæ voluntatis id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit: profectò peccatum Adæ ipſi ſoli obfuit, quia nullū in prolem tranſitū fecit. Non enim peccatum non eſt malum; aut peccatū non eſt vitium, aut peccatum Deus condidit.*

4 Conſtat igitur hoc Peripateticū principium quo iſti moderni nitūtur ad euacuādam ſenſibilē pœnā originalis (*quia videlicet nullus increpari, aut vituperari, & conſequēter pœnâ ſenſibili puniri ſecundùm Ariſtotelē poteſt, propter id quod in ſua numquam fuit poteſtate*) fuiſſe Pelagij fundamentū, ad ipſum peccatū originale de medio auferendum. *Omne* (inquit) *bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur à nobis.* Quid clarius ſecundum Pelagium, quā neminē vituperari poſſe propter id quod cum eo oritur, ſed tantùm propter

Eodem quo Pelagius argumēto, ſuam moderni quidam, de paruulorū pœnis dogma ſuffulciunt.

id quod ab eo agitur, actione ſcilicèt propriæ voluntatis? Ex quo principio inferunt illi moderni vlteriùs, quia certum ſentiunt nullum vituperati poſſe, propter id quod cum eo oritur, & non ab eo agitur, actione propriæ voluntatis, ſiue propter id, quod in ſua propria poteſtate non eſt, nullum etiam puniri poſſe pœnâ ſenſibili (quæ ſemper vim vituperij habet) propter id, quod cum eo oritur, & non ab eo agitur, actione propriæ voluntatis, ſiue propter id quod in ſua propria poteſtate non eſt.

Ex iiſdem Philoſophorum principiis, quæ pro ſe adducunt adverſarij, admiſſis, cauendũ ne aliquid contra ſi d inſequãtur.

5 Sed ſi ad iſta Philoſophorum ac iſtorum Theologorum principia aliter reſpondere non poſſemus, niſi oſtendendo ex ſimilibus philoſophorum principiis, in ſimili etiam forma falſum concludi; hoc ſatis eſſe duceremus. Iſta igitur principia non magis certa apud eoſdem Philoſophos ſunt, quam illa alia, quibus affirmare ſolent, nemini imputari poſſe id, quod in propria ſua poteſtate non eſt; ſiue, nemini in culpam id eſſe imputandum quod propria poteſtate non poteſt. Quod principium vniuersè, intellectum, vt

ipſi

ipſi intelligebant, & ad paruulos accomodatum, in quorum numquam propria poteſtate fuit, non eſſe in originali, euacuat in illis Originale.

6 Sed hoc inſtandi modo, per aliud ſcilicèt principium, quod fortè non eſſe aliud dici poſſet, nunc omiſſo; ad illud ipſum principium examinandum accedamus. Ex eo igitur principio, ſi verum erit (vt non ſolum verum eſſe poſt Ariſtotelem Pelagius, ſed & prædicti ſentiunt) euidenter ſequi videtur, naturam humanam recens natam, ſiue in paruulo non baptizato, nullo vitio eſſe vitiatam, vt Pelagius contendebat in illis ſuprà citatis verbis; *Et vt ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur.* Nemo enim dicet vitium non eſſe vituperandum, vel indifferenter habendum, vt nec laudetur nec vituperetur, quia vt pulchrè Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 14. *Ipſa vituperatio, quòd ſoli vitio parata, id eſt, apta & debita ſit, inde traxiſſe vocabulum creditur vt vituperatio diceretur: vitium autem (vt dicere cæperam) non aliundè malum eſt, niſi quòd naturæ aduerſatur eius* Vituperium ſoli vitio debetur.

ipſius

Digitized by Google

ipſius rei cuius eſt vitium. & paulò infrà, *Quia enim vitium naturæ aduerſatur; tantum additur malitiæ vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur; cum ergo vituperas vitium, id profectò laudas, cuius integritatem deſideras: Cuius autem, niſi naturæ, integritatem? natura enim perfecta, non ſolùm nullâ vituperatione, ſed etiam laude in ſuo genere, digna eſt. Quod ergo perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id vocas vitium, ſatis tibi eam placere conteſtans, quam vituperatione, imperfectionis eius, velles eſſe perfectam*. & libr. 12. de ciuit. cap. 1. *Cuius enim rectè vituperatur vitium, procul dubio natura laudatur, nam rectè vitij vituperatio eſt, quod illo dehoneſtatur natura laudabilis.*

Vituperiũ omni vitio etiam originali debetur.

7 Si igitur vitio debita eſt vituperatio; naturæ vitio affectæ ſeu vitiatæ, in quantùm vitio affectæ ſeu vitiatæ, debita erit vituperatio: tùm quia vt ſic à vitio corrumpitur, teſte eodem magiſtro libr. de moribus Manichæorum cap. 5. & 6. *quod verò peruertitur, ordine priuatur, & ad non eſſe tendit*. tùm quia natura vt vitiata, mala eſt, vt rectè

rectè notauit idẽ Aug. lib. 12. de ciuit. ca. 3. illis verbis, *Quoniã naturæ etiam illæ, quæ ex malæ volũtatis vitio vitiatæ ſunt, in quantũ vitiatæ ſunt, malæ ſunt, in quãtum autem naturæ ſunt, bonæ ſunt.* Igitur ſi vt vitiatæ ſũt naturæ, malæ ſunt: vt vitiatæ ſunt, vituperandæ ſunt; quia vituperium illi malo debetur, quod eſt cõtra naturã, quale eſt malum vitij qualiſcumque, ſiue conſiſtat in actione defectuoſa, ſiue in macula, aut habituali defectu ex actione, relicto: vt patet in vitio peccati originalis, de quo nunc tractamus: quod per actionem illius voluntatis per quam omnes peccauerunt, relictum eſt ad poſteros Adæ tranſiturum.

8 Quis enim dicere auderet illud vitium non nocere naturæ noſtræ? *nam eſſe vitium* (inquit Auguſtinus libr. 12. Ciuitat. cap. 3.) *& non nocere non poteſt. Sed quid naturæ nocendo vitia faciunt* (vt rectè idem Author ibidem) *niſi adimunt, integritatem, pulchritudinem, ſalutem, virtutem, & quidquid boni naturæ per vitiũ detrahi, ſiue minui cõſueuit?* Per vitium ergo originalis culpæ aliquid boni

Omne vitium nocet naturæ, eiuſque ordinem peruertit.

Digitized by Google

naturæ noſtræ detractum eſt; vnde ipſa ab eius, à quo facta eſt arte diſcedit; propter quod rectè vituperatur, vt colligitur ex eodẽ Magiſtro lib. 3. de libero arbitrio c. 14. & 15. Si ergo naturæ vitio affectæ, debita eſt vituperatio, vt manifeſtè ex prædictis principiis colligi videtur: an non fortè ſequi euidẽter videatur, illos qui paruulos non baptizatos à vituperatione, ac cõſequenter à vitio defendunt; cõuinci velint, nolint ad defendendũ eoſdem paruulos ab originali liberos eſſe: quod ſine errore in fide, vitiũ eſſe negari non poteſt; cum per illud, ſecundùm Concilia & Sanctos, natura poſterorum Adæ, atq; liberum arbitrium manſerint vitiata; quæ propterea medico opus habent, qui ea ſanet.

Pœnam ſenſibilem deberi peccato originis probatur ex ſacris literis & PP.

9 Præterea, ex prædicta illorum modernorum doctrina apertè ſequi fortè videtur, ſi pœna ſenſibilis, quia vim vituperij habet, prædictis paruulis non debetur, vt iſti moderni ſibi certum eſſe propter Ariſtotelis authoritatem affirmant, Scripturas Pauli, & Eccleſiæ Cõcilia, eſſe falſa & fallacia. Sequela probatur, quia Scripturæ illæ & Concilia

mani-

manifeſtè clamant, per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem in omnes tranſiſſe; & corpus eſſe mortuum propter peccatum; & omnes homines propter peccatum incurriſſe mortem; atque mortem corporis eſſe pœnam peccati, quod in omnes intrauit. Atqui mors corporis, quæ pœna eſt, quæque omnibus propter originale debetur, vt prædictæ Scripturæ & Concilia affirmant, eſt pœna ſenſibilis, vt experientia ipſa teſtatur, *quia cum graui ſenſu adimit ſenſum* (vt benè Auguſtinus libr. 13. de ciuitat. cap. 6. *habet enim mors corporis*, vt ſcribitur ibidem, *aſperum ſenſum, & contra naturam vis ipſa, qua vtrũque diuellitur, quod fuerat in viuente coniunctum atque conſertum, quamdiu moratur, donec omnis adimatur ſenſus, qui ex ipſo inerat animæ carniſque complexu.* Ergo mors illa corporis, cum ſenſibilis ſit, non erit pœna peccati Adæ ſeu originalis, ſi vera ſunt prædicta principia, & ſic Scripturæ & Concilia erunt falſa & fallacia, quod ſine cœca impietate concedi non poteſt. Si ergo ad hæc

Rom. 5.
Rom. 8.
Mors corporis eſt pœna ſenſibilis, peccati.

impietatis abrupta, ſuprà dicta principia fortè compellunt; an non eorum aſſertoribus ſilentij pondus meritò imponendum erit?

Satisfit motiuo prædictorum Theologorum, perſtringiturque cenſura parùm ſobria cuiuſdam moderni de B. Auguſt.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Propter id quod in propria poteſtate non eſt poteſt aliquis dignus eſſe vituperio.

1 FAlſum ergò eſt neminem vituperatione dignum eſſe propter id quod in ſua propria poteſtate non eſt, vel non fuit, quia ſi vitium peccati originalis vituperatione dignum eſt, vt ex ſupradictis iam conſtat; paruulus vt illo vitio infectus & vitiatus (in cuius numquam propria poteſtate fuit non peccaſſe in Adam, & proptereà non fuiſſe infectum illo vitio) vituperio dignus eſt. Ingenuè tamen fatendum eſt, ſi vitium originalis peccati prorſus naturale fuiſſet, ſiue ex neceſſitate naturæ, nullo modo à voluntate dependens (per quam paruulus peccaret, & conſequen-

Digitized by Google

quenter, nec à poteſtate, cum poteſtas nihil aliud ſit, teſte Auguſtino de Spiritu & litera cap. 30. *quàm voluntati adiacens facultas faciendi)* nec illud fore vitium, aut vituperatione dignum, nec vllum conſequenter vituperium propter originale, paruulo deberi. *Sed quia per vnius voluntatem malam, omnes in eo peccauerunt*, vt ſcribitur lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 5. *quando omnes vnus fuerunt* (quod Ariſtoteles ac cæteri gentiles Philoſophi ignorauerunt, qui putauerunt neminem vituperari deberi propter id quod in eius propria poteſtate non fuiſſet: ſicut ſimiliter putarũt nemini in culpam aliquid eſſe imputandum, quod in eius propria poteſtate non eſſet, ſiue quod vitare propria poteſtate non poſſet) mirum non eſt, ſi omnes infantes, quia cum vitio peccati quod in Adam commiſerunt naſcuntur, vituperio digni ab Auguſtini diſcipulis cenſentur.

Ad quam ſolutionem ipſe Auguſtinus ſemper recurrit, quoties à Pelagianis cogitur ad declarandum quomodo originale, quod *Quomodo peccatum orig. ſit voluntariũ.*

nec voluntarium Adæ poſteris, nec in eorum poteſtate eſſe videatur, peccatum eſſe
Auguſt. poſſit: vt patet ex lib. 1. retract. cap. 13. *Et illud* (inquit) *quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non vtantur libero arbitrio voluntatis; non abſurdè vocatur etiam voluntarium, quod ex primi hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodammodò hæreditarium.* & cap. 15 eiuſdem libri. *Quod dixi, nuſquam ſcilicèt niſi in voluntate eſſe peccatum; poſſunt* (inquit) *Pelagiani pro ſe dictum putare, propter paruulos, quos ideò negãt habere peccatum, quod eis in baptiſmate remittatur, quia nondùm arbitrio voluntatis vtuntur. Quaſi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere; id eſt, reatu eius implicatos, & ob hoc pœna obnoxios detineri, vſquã eſſe potuerit niſi in voluntate, qua voluntate commiſſum eſt, quando diuini præcepti facta eſt tranſgreßio,* & infrà in eodem capite, *Cur igitur (inquiunt) peccatum dicitur paruulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Reſpondetur, non eos proprietate voluntatis, ſed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus, quid eſt origine*

origine niſi Adam? Porrò autem Adam habebat vtique voluntatem : qua voluntate cum peccaſſet, peccatum per eum intrauit in mundũ & lib. 3. contra Iul. ca. 18. eidem Iuliano obijcienti Deum probari iniuſtum, ſi impoſſibile aliquid iuberet, Reſpondet, *Quid de Iſaac dicturus es, cui quidquam nec impoſſibile, nec poſſibile eſt imperatum; & tamen perditionis animæ ſuæ pœnâ feriretur, ſi octauo die non circumcideretur? An verò, nec ſic tandem reſpicis illud primitùs in paradiſo datum, poſſibile ac facile fuiſſe præceptum; quo contempto atque violato, omnes ex vno homine, tamquàm in maſſa originis, commune illud habere peccatum; & hinc eſſe iugum graue ſuper filios Adæ, &c.* Et libro 1. retract. cap. 15. *Et iterùm* (inquit) *in eo quod dictum eſt, peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt: Cur ergo (inquiunt) paruuli tenentur rei? Reſpondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit, quod facere potuit, diuinum ſcilicet ſeruare mandatum.* & iterùm, ibidem, *Quod autem dixi, illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura non volun-*

tate

tate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus: propterea non perturbat de paruulis quæſtio, quia ex illius origine rei tenentur, qui volnntate peccauit, qnando libero ad faciendum & non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat. Supra dictum ergo principium illorum Theologorum, paruulum ſcilicèt vituperari, & conſequenter puniri ſenſibili pœnâ non poſſe, propter id quod in ſua propria poteſtate non eſt, hoc eſt propter peccatum primi parentis; quamuis in gymnaſio Ariſtotelico inter gentiles peripateticos magnam vim habere iudicaretur; lectori tamen determinãdum relinquo, an in Schola Auguſtini perpetuo ſilentio ſupprimeretur: ne fortè aliàs peccatum originis eiuſq; pœnas & damnationem per illud euacuari conuinceretur; & ſic nullam neceſſitatem vt Chriſtiani fierent homines habere probaretur, vt bene infert Auguſtinus in lib. de natur. & grat. ca. 1.

3 Quæ

Digitized by Google

3 Quæ omnia maturè animaduertere debuiſſet quidam modernus, qui per illud Ariſtotelicum principium in foueam videat ne fortè ipſe potiùs ceciderit, in quam beatiſſimum Magiſtrum incidiſſe, in quadam ſua diſputatione ſignificat; vbi non dubitat ex quibuſdam verbis eius non rectè intellectis (vt domino donante alibi oſtendemus) aſſerere, eos, qui doctrinam Auguſtini de peccato originali defenderent, cogi incidere in errorem Pelagij de euacuatione eiuſdem peccati originalis. Igitur Auguſtinus vt Pelagium ſuis diſputationibus caperet; in eiuſdem Pelagij retia ipſe incautus venator incidit. O quàm horrendum & nulla ratione ferendum inter Catholicos conuitium, in ſapientiſſimum Eccleſiæ Magiſtrũ iactatum; An potiùs in ipſam Eccleſiam, quæ beatiſſimum Auguſtinum per tot ſæcula cõtra Pelagianos peccatum originale & gratiã Chriſti negantes, Magiſtrum mirabiliſſimũ cœlitùs ei ad eam defendẽdam largitũ, attonita ſuſpicit? An fortè in vtrũque? Quod ſi ita; an ſancta Eccleſia, Chriſti ſponſa, ſi de hoc *Cuiuſdam ſcriptoris moderni iniuſta de Auguſtino cenſura taxatur.*

Dd admo-

admoneatur; ſuam & ſui ſapientiſſimi Magiſtri iniuriam patietur? Nonne licentia obloquendi cuiuſcumque ſcriptoris, aduerſus doctrinam beatiſſimi Auguſtini contra Pelagianos & Semipelagianos, à Sede Apoſtolica toties approbatam, atque à calumniis aduerſariorum defenſam, multò vigilantius nunc poſt tot approbationes compeſcenda erit, quàm quando illi Sancti Proſper & Hilarius pro defenſione eiuſdem doctrinæ ad Cæleſtinum Sanctiſſimum & doctiſſimum Pontificem recurrerunt; qui reprehenſoribus doctrinæ Auguſtini, vt notauit Proſper, maleuolentiæ libertatem ademit; quique de eodem Auguſtino affirmat, ipſum numquam fuiſſe ſaltem ſiniſtræ ſuſpicionis rumore aſperſum; beneque de eo in commune omnes ſenſiſſe; vt potè, qui vbique cunctis & amori & honori fuerit. In eadem ergò ſancta Eccleſia, cui nunc non diſſimilis Zeli ac eruditionis Pontifex, Vrbanus huius nominis octauus per Dei gratiam præſidet, illa ſiniſtræ ſuſpicionis nota Auguſtino temerè aſperſa, ab eo depellatur; illi, qui cunctis honori

nori fuit, quique Eccleſiam ab Apoſtolis plantatam, tam mirabili ſuprà omnes alios Doctores, doctrinarũ affluentia rigauit, tantus honor tribuatur, vt animoſitati Philoſophicæ liberum non ſit doctrinam eius, maximè eam, quæ à Sede Apoſtolica contra hæreticos in iudicio firmata eſt, præcipiti cenſurarum, aut impugnationum arietatione impetere. Quantum enim excellentiæ prædictæ doctrinæ detrahi ſineretur; tantum Apoſtolici iudicij firmitati derogari fortè videretur.

Impugnatur ſententia de beatitudine naturali paruulorum: examinaturq́ʒ an Pelagiani ſolam naturalem beatitudinem paruulis promittebant, vt quidam modernus ſentit.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

1 AD miſericordes & liberales illos Theologos, qui à paruulis illis non ſolum omnem dolorem tam externũ quam internum excludunt, ſed eis inſuper beatitudinem naturalem tribuunt, nunc perueniamus:

mus: primò admonentes, eos videri ſatis conſequenter ad ſua, & aliorum Scholaſticorum principia loqui: quia qui nulla moleſtia afficiuntur in anima vel corpore; vel ſunt prorsùs ſtupidi (quod tamen de paruulis illis nullus, ni fallor, hactenus dixit, aut dicere probabiliter potuit) vel verè habent quidquid naturaliter exoptant, vel quod neceſſarium eſt ad vitam naturalem corporis, & animæ fœliciter pereagēdam, ſine quo illos nulli dolori obnoxios eſſe, impoſſibile videtur: ſed quicquid ſit de hoc; breuiter iiſdem Theologis opponimus, eorum ſententiam ex ſuprà dictis iam proſtatam manere. Cum enim beatitudo ſecundum ſanctiſſimũ Magiſtrũ lib. 5. ciuit. cap. 1. *ſit plenitudo omniũ rerum exoptandarum*: ridiculè aſſeritur paruulos ſine baptiſmo morientes, qui non ſolũ interna & ſempiterna triſtitia ob omiſſionē regni cœlorum, ſed & igne gehennæ in perpetuum cruciabuntur, vt in ſuperioribus ex ſacra ſcriptura & Auguſtino oſtendimus; futuros beatos, beatitudine naturali. Beatitudo enim naturalis, vt perfecta atque plena in

ſuo

Digitized by Google

ſuo genere ſit, plenitudinem requirit omnium rerum, quæ naturaliter ab homine exoptari poſſunt.

2 Vt autem intelligantur non omnia, ſed aliqua ex eis, quæ homines naturaliter exoptant; recolendum eſt ex beato Auguſt. lib. 19. Ciuitat. cap. 1. *quatuor eſſe quadam iuxta Varronem, quæ homines ſine magiſtro, ſine vllo doctrinæ adminiculo, ſine induſtria vel arte viuendi, quæ virtus dicitur, & procul dubio diſcitur, velut naturaliter appetunt; aut voluptatem, qua delectabiliter mouetur corporis ſenſus; aut quietē, qua fit vt nullam moleſtiam quiſque corporis patiatur; aut vtramque, quam tamen vno nomine voluptatis Epicurus appellat; aut vniuerſaliter prima naturæ, in quibus & hæc ſunt, & alia, vel in corpore vt membrorū integritas, & ſalus atque incolumitas eius; vel in animo, vt ſunt ea, quæ vel parua vel magna in hominum repiuntur ingenijs.* Si igitur homo naturaliter expetit ſalutem incolumitaté corporis, quietemque, qua fit, vt nullam moleſtiam in corpore patiatur; quomodo aſſeritur paruulus non baptizatus

Quatuor ſunt quæ homines naturaliter appetunt.

(qui ſecunda morte gehennæ poſt iudicium moritur, quæ animam nolentem tenet in corpore, quod æternis doloribus ſubiacebit) beatus beatitudine naturali, quæ ſine quiete ab omni moleſtia, & ſine incolumitate corporis ſtare non poteſt?

Naturalis paruulorũ poſt mortẽ beatitudo impugnatur.

3 Præterea, ſi omnes naturaliter exoptãt beatitudinem, & hic appetitus eis inamiſſibiliter ineſt (vt latè in ſuperioribus probauimus) quam beatitudinem conſequi non poſſunt, quamdiù eò non peruenerint (vt habetur lib. 14. ciuit. cap. 25.) *vbi mori, falli, offendi omninò non poſſunt*; *eiſque ſit certum ita ſemper futurum*; hoc eſt, quamdiù bono incommutabili quod Deus eſt, *ſine vlla moleſtia non perfruantur, & in eo ſe in æternum eſſe manſuros, nec vlla dubitatione cunctentur, nec vllo errore fallantur*, vt rectè Auguſtinus lib. 11. ciuit. cap. 13. quomodo infantes ſine baptiſmo morientes beatos futuros, beatitudine naturali eſſe, affirmatur, cum ſe in Inferno, quò ſecundum Concilium Florentinum poſt mortem deſcendunt, omni beatitudine priuatos videant; cumque in iudicio ex ore iudici

iudicis audituri ſint, ſe numquam habituros omni moleſtia carentem ſocietatem Angelorum, ac hominum beatorum in participatione ſummi Dei, quæ ſola ſatiat appetitum illum, quem naturaliter habent; vt ſcribitur lib. 12. de ciuit. cap. 10.

Naturale deſiderium beatitudinis fruſtratum in eiuſmodi paruulis cauſabit nõ mediocrem triſtitiam.

4 In illis ergo paruulis naturaliter ſequetur ſumma triſtitia, quando videbunt ſuum naturale deſiderium omninò fruſtratum. Niſi quis velit fingere, illas creaturas rationales, Dei imagines, futuras naturaliter poſt mortem ſine mente, ac ſic naturaliter belluinas; aut propter peccatum perdere naturalia, (quod de adultis hominibus damnatis, in quibus ſunt peccata grauiora, imò & de ipſis dæmonibus, Theologi iſti dicere detrectant) aut tandem habituras mentem ſiue ſtultam ſiue ſopitam; quod etiam prædicti Theologi non admittunt. Ergò cum ſempiterna illa triſtitia nulla compatibilis erit naturalis beatitudo.

Nullus eſt beatus qui non habet quod vult, & nil patitur quod non vult.

5 Et quidem ipſi gentiles Philoſophi qui ſolam beatitudinem naturalem agnouerunt; ſentiebant, eâ neminem beatum eſſe poſſe

poſſe, niſi habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit, vt notauit Auguſtinus libr.13. Trinit. cap.7. Lectori igitur iudicandum relinquo, an hæc ratio de puerorum illorum triſtitia ob amiſsionem beatitudinis, quam naturaliter amant, ſit inuictiſſima ad conuincendos huius naturalis beatitudinis fabricatores, abſurditatis. Vnde in hac re diutius immorandum non eſt. Sed vlterius indagandum, an prædicta abſurditas (ſi eam eſſe abſurditatem ſatis iam conſtat) adeo abſona ſit, vt peruerſiſſimos Pelagianos adiuuet, qui beatitudinem paruulis non baptizatis promittere videbantur, illa celebri ipſorum definitione, quam refert Beatus Auguſtinus Epiſt.106. & de geſt. Pelagij cap.35. infantes, etiam ſi non baptizentur, habere vitam æternam.

Cuiuſdam mod. rni o-pinio de beatitudine naturali proponitur.

6 Quidam ex iunioribus Theologis qui ab iſtis Scholaſticis in hac beatitudine naturali diſſentit; vt eam oppugnet, eiuſq; fortè defenſores cantos contra hæreſim Pelagianam reddat; affirmat Pelagianos eam ſolam promiſiſſe paruulis non baptizatis; & ita num-

numquam eis promiſiſſe beatitudinem ſupernaturalem, aut vitam illam æternam, quæ eſt in clara Dei viſione. Quod probat ex Auguſtino libr. 5. contra Iulian. cap. 8. vbi eodem Auguſtino teſte *Pelagiani alienabant paruulos non baptizatos à vita Dei, cum eos alienarent à regno Dei. Quid eſt autē vita Dei, niſi viſio Dei? ſed neque ipſum regnum Cælorum in Scripturis aliud ſignificat niſi fœlicitatem æternam, quæ in Dei viſione conſiſtit; iuxta illud, Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt; & illud; ſcimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſecuti eſt; & illud. Hæc eſt autem vita æterna vt cognoſcant te ſolū Deum verum. Itaque* (inquit iſte author) *Pelagiani non vitam æternam ſimpliciter*. Sed vt Auguſtinus loquitur in libr. de hæreſib. ad Quoduultdeum cap. 88. *quandam ſuam vitam æternam infantibus non baptizatis promittebant*. Quæ ſententia prædicti moderni ſi vera eſſet; apertè, Auguſtino teſte, ſequeretur hanc illorum Theologorum de beatitudine naturali ſentētiam, eſſe hæreſim damnatam,

Alias 11.

Matth. 18.

1. Ioan. 3.

ab omnibus Chriſtianis anathematizãdam; quia propoſitio illa, *Infantes etiam ſi non baptizentur habere vitam æternam*; in ſenſu Pelagianorum eſt ab Eccleſia damnata & ab omnibus anathematizanda, vt teſtatur Auguſtinus Epiſtol. 106. & de geſt. Pelag. vbi ſuprà.

7 Alia tamen via probat prædictus modernus illam Scholaſticorum opinionem de beatitudine naturali *eſſe* (vt ipſe loquitur) *ipſammet hæreſim Pelagianam. Quia ſi prædicti*(inquit)*paruuli futuri ſunt beati, beatitudine naturali ; ſequitur eos deberi baptizari, vt adoptionem diuinam adepti, admittantur ad regnum cœlorum , non autem quia periculum ſit, ne damnentur & pereant. Nihil enim eis adeſt mali præter carentiam viſionis Dei, & nihil eiſdem boni deeſt, niſi viſio Dei, hoc eſt poſſeſſio regni cœleſtis. Atqui hæc ipſa*(inquit)*eſt hæreſis Palagiana; nam vt Sanctus Auguſtinus teſtatur lib. 1. de origine animæ cap. 9. non timebant Pelagiani paruulis damnationem ſi non baptizarentur, ſed à regno excluſionem, vbi per damnationem* (inquit)*non intel-*

intelligit Auguſtinus excluſionem à regno; ſed aliquid aliud, nam ſi excluſio (inquit) *eſſet damnatio, qui excluſionem timebant non baptizatis, damnationem quoque eiſdem pariter timuiſſent.*

Oſtenditur clarè contra iam citatam ſententiam, ex Auguſtino, Pelagianos ab initio prædictis paruulis promiſiſſe beatitudinem ſupernaturalem, & à præfato moderno, non ſufficienter probari aſſertores beatitudinis naturalis paruulorum, introducere Pelagianiſmum.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

1 SEd quidquid ſit de hac opinione iſtorum Theologorum de naturali beatitudine paruulorum; an ad hæreſim Pelagianam pertineat, quod ſtatim diſcutiemus: primo probatur falſum eſſe, Pelagianos numquam promiſiſſe beatitudinem ſupernaturalem, aut vitam æternam, quæ in Dei viſione conſiſtit, paruulis non baptizatis. Auguſtinus enim, vt hanc Pelagianorum hæreſim refutet,

Pelagiani ab initio promittebant ſupernaturalem beatitudinem extra regnũ cœlorũ pueris ſine baptiſmo decedentibus.

refutet, (vitam ſcilicèt æternam paruulis non baptizatis extrà regnum Cœlorum dari, & Infantes qui baptizantur, baptizari vt in regnum Cœlorum intrent, non vt vitam æternam accipiant, quam ſiue baptizarentur ſiue non, accepturi fuiſſent) laborioſiſſimè probat ex Scripturis Sanctis Sermon. 14. de verbis Apoſtoli vitam æternam ſolùm dari eis, qui in regno Cœlorum futuri ſunt; imò regnum Cœlorum eſſe ipſam vitam æternam. Ergo ſi Pelagiani per vitam æternam intelligebant, ſolam beatitudinem naturalem, vt iſte author vult, friuolè eos Auguſtinus ex Scripturis refellere contendit, quia Scripturæ omnes, quas ipſe adducit de ſola vita ſupernaturali, quæ in viſione Dei conſiſtit, non de naturali loquuntur. Vndè Pelagiani tribuentes paruulis illis ſolam vitam naturalem, ſiue naturalem tantùm beatitudinem, in qua Dei clara viſio minimè includitur, Auguſtino facilè reſpondere poſſent, ſe nihil contra Scripturas docere, quæ ſolis baptizatis vitam æter-

Digitized by Google

æternam promittunt, quia Scripturæ loquuntur de illa vita ſupernaturali in qua Deus facie ad faciem videtur; quam ipſi paruulis non promittebant; atque adeò Auguſtino non mendaciter opponere poſſent, ipſum in ſua illa diſputatione veluti nugari; quod admittere, verè eſſet nugari.

2 Confirmatur. Nam Pelagiani illam vitam æternam paruulis illis promittebant, ad quam poſſidendam baptizari, ac conſequenter in Chriſtum credere, fierique membrum eius, requiritur: Auguſtinus enim eis in illo ſermone obijciebat, ad vitam, quam paruulis promittebant, ſine iſtis perueniri non poſſe, & per iſta peruenire poſſe; ergo probè nouerat illos intelligere per vitam illam æternam, ſolam vitam ſupernaturalem, ſeu claram Dei viſionem. Infantes enim baptizantur, ac Chriſtiani fiunt, non vt ad aliquem Paradiſum terreſtrem perueniant, in quo Deum clarè non videant, in quo viuant ſine omni moleſtia, in magno

Digitized by Google

gaudio & fœlicitate naturali, ſapienter intelligentes cauſas omnium rerum naturaliter creatarum, ſiue creabilium, & Deum vt authorem tantùm earum. Nullus autem hæreticus nedum Chriſtianus, ni fallor, ſomniauit fidem Chriſtianam inſtitutam eſſe, vt ad ſimilem beatitudinem perueniatur.

Qualis manducatio corporis Chriſti ſit omninò neceſſaria ad vitam æternam adquirendam.

3 Sed vt præfati moderni argumenta ſoluamus, eiuſque ſententiam manifeſtiùs redarguamus, obſeruandum eſt Pelagium eiuſque diſcipulos in initio ſuæ hæreſis docuiſſe paruulis ſine baptiſmo decedentibus (quia ſine vllo peccato vt hæretici illi dogmatizabant naſcuntur) dari extra regnum cœlorum gaudia vitæ æternæ, qua in Societate Chriſti ac Sanctorum beati perfruuntur; vt cõſtat ex Pontifice Innocẽtio in Epiſtola ad Patres Concilij Mileuitani, qui ibidem affirmat contra prædictos Pelagianos vitam æternam quam paruulis illis promittebant, eis non dari, qui non manducant carnem filij hominis, nec eius ſanguinem bibunt. Quo argumento contra eoſdem Pelagianos, vſus eſt ipſe Auguſtinus ante Innoc. lib. 1.

Tandem Pelagiani naturalem tantũ beatitudinem extra regnum cœlorum infantibus dãdam fore docebãt.

libr. 1. de peccat. merit. cap. 20. vndè conſtat controuerſiam fuiſſe inter Pelagianos, & iſtos Sanctos de vita æterna, quæ non habetur ſine manducatione corporis Chriſti, hoc eſt ſine participatione vnitatis corporis eius, ac ſocietate membrorum eius, quæ acquiritur per baptiſmum Chriſti, quam iſti Sancti, (vt colligitur ex Auguſtino lib. 21. ciuit. cap. 25. & tractat. 26. in Ioann & ex Innocentio vbi ſuprà) intelligunt per illam manducationem omninò neceſſariam ad vitam æternam habendam; quam manducationem ſiue incorporationem, nemo vmquam iudicauit neceſſariam ad habendam vitam naturalem æternam extrà regnum Cœlorum. Contra hunc igitur Pelagianorum ſenſum de vita æterna extra regnum Cœlorum, Augiſtini locis à nobis proximè citatis, militant argumenta; quibus Pelagiani conuicti, & à primò illo ſenſu depulſi, prædicare cœperunt dari paruulis beatitudinem non ſupernaturalem, ſed naturalem.

4 Quæ omnia manifeſtiſſimè ex Auguſt. proban-

Digitized by Google

probatur, illis verbis, quæ habet de prædeſtinatione Sanctorum cap. 13. *Hoc ſi audirent Pelagiani, non iam laborarent, negando originale peccatum, quærere paruulis extrà regnum Dei, neſcio cuius ſuæ felicitatis locum; maximè quando conuincuntur non eos habere poſſe vitam æternam, qui non manducauerunt carnem, nec biberunt ſanguinem Chriſti.* Ecce quam clarè docet Pelagianos conuictos de falſitate dogmatis, quo paruulis promittebant beatitudinem, quæ non habetur ſine manducatione carnis Chriſti (hoc eſt beatitudinem ſupernaturalam) extrà regnum cœlorum; recurrere ad beatitudinem naturalem, quam eiſdem paruulis tandem tribuebant; quam Auguſtinus ſignificat per illa verba *neſcio cuius ſuæ felicitatis locum.*

Supradicti moderni fundamẽta, inſuſſicientia eſſe declarantur.

5 Vndè ad ea quæ prædictum Theologum mouebant, dicendum, ipſum, vt videtur, non rectè referre textum aut ſenſum Auguſt. libr. 5. contra Iulian. cap. 8. aliàs 11. Non enim teſtatur ibidem Auguſtinus Pelagianos alienaſſe paruulos non baptizatos

à vita

à vita Dei, quia eos alienabant à regno Dei, talem enim illationem ibi non habet; verba enim eius ibi hæc ſunt. *Verùm vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione eſſe contenditis, cogitare non vultis, quâ illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei, & à regno Dei, tot imagines Dei.* Non ergo ibi infert contra Pelagianos, ipſos alienaſſe paruulos à vita Dei, cum eos alienarent à regno Dei; vt iſte Author ſcribit. Hoc enim Auguſtino neceſſe non fuit, cum ipſi Pelagiani apertè tunc id admitterent, vt patet ex illis verbis, paruulos non baptizatos alienari à vita Dei; quia conuicti ante ab eodem Magiſtro, ſuam ſententiam de beatitudine ſupernaturali extra regnum Cœlorum illis paruulis danda, mutauerant. Vndè admittimus per regnum Cœlorum in Scripturis ſignificari fœlicitatem æternam, quæ in Dei viſione cõſiſtit (vt Auguſtinus efficaciùs quam iſte modernus probat in illo ſermon. 14.) & idcirco Pelagianos fuiſſe abſurdiſſimos, qui paruulis illam fœlicitatẽ ab initio promittebãt cum iiſdem regnum Cœlorum negarẽt. Per quod

potiùs ex Auguſtino contrariũ huius, quod iſte author de beatitudine colligit, inferimus, numquam enim Auguſtinus ad conuincendos Pelagianos eis obijceret ex ſcripturis, vitam æternam, quam paruulis promittebant non dari, neque à Deo promitti in prædictis ſcripturis, niſi baptizatis & Chriſti membris, ſi Pelagiani de beatitudine tantùm naturali loquerentur, aut per vitam æternam, illam ſolam naturalem fœlicitatem, quam pòſt prædicare cœperunt, tunc intelligerent. Scripturæ enim illæ de iſta naturali fœlicitate, à Pelagianis confictа minimè loquuntur. Concedimus igitur Pelagianos, non ab initio ſuæ hæreſis, ſed poſtquàm ab Auguſtino conuicti ex Scripturis fuerunt, non promiſiſſe paruulis vitam æternam ſimpliciter, ſed æternam & beatam quandam vitam ſuam: vt Auguſtinus loquitur in libr. de hæreſ. vbi ſuprà.

6 Ad authoritatem illam Auguſtini ex lib. 1. de origine animæ cap. 9. qu prædictus author probare contendit, aſſerentes beatitudinem naturalem paruulorum ſine baptiſmo

Digitized by Google

ſmo morientium, incidere in hæreſim Pelagianam; dicendum ipſum quoque ibi non videri rectè citaſſe prædicta Auguſtini verba; quia fortè vt efficacius, contra alios modernos concluderet, addere videtur Auguſtini verbis aliqua ſua; quâ additione ſublata intentum ſuum ex Auguſtini verbis, ibi nequàquàm probare poteſt. Sic enim argumentatur contra prædictos modernos. *Nam vt Sanctus Auguſtinus teſtatur* (inquit) *in lib. de origine animæ cap. 9. non timebant Pelagiani paruulis damnationem, ſi non baptizarentur, ſed à regno excluſionem, vbi* (inquit) *per damnationem, non intelligit Auguſtinus excluſionem à regno, ſed aliquid aliud; nam ſi excluſio* (inquit) *eſſet damnatio; qui excluſionem timebant non baptizatis, damnationem quoque eiſdem pariter timuiſſent.* Detrahantur Auguſtini teſtimonio illa verba (*ſed à regno excluſionem*) & quomodo, quæſo, prædictus modernus ſuum intentum contra illos alios modernos ex Auguſtino ibi concludet? Verba igitur Auguſtini in illo cap. 9. ab hoc authore citato ſunt; *Verùm hæc vt volet quiſque*

 accipiat;

accipiat; dum tamen de baptiſmo non præſcribatur ſaluatoris præcepto, huius latronis exemplo: & non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumque Cælorum, quietis vel fœlicitatis cuiuſlibet, atq; vbilibet quaſi medium locum. Hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit; quæ nec damnationem metuit paruulis, quos nullum putat habere originale peccatum, nec ſperat eis regnum Cælorũ, ſi non perueniant ad baptiſmatis ſacramentum. Manifeſtum eſt ergo in eo Auguſtini teſtimonio non haberi illa verba (*à regno excluſionem*) in quibus eſt vis argumenti illius authoris, ad probandum ſecundùm mentẽ Auguſtini, damnationem eſſe aliud diſtinctum ab excluſione; vt quaſi ex verbis Auguſtini concludat contra alios Theologos, qui nihil pœnale in pueris illis præter excluſionem admittunt, eos, nullam in eis admittere damnationem, ac ſic cum Pelagianis prorsùs conuenire.

7 Si quis reſpondeat, hunc authorem nõ intendiſſe ibi Auguſtini teſtimonium ſecundùm verba, ſed ſecundùm ſenſum, citare; In

Augu-

Digitized by Google

Auguſtini autèm ibi ſententia includitur ſecundùm ſenſum illa huius authoris ſentētia; Auguſt. enim affirmat Pelagianam hæreſim promiſiſſe illis paruulis medium locum alicuius fœlicitatis inter damnationē & regnū Cœlorum;quia eis(inquit)non metuit damnationem,quos nullum originale peccatum putat habere, nec eis ſperat regnum Cœlorum , cum non perueniant ad baptiſmum. An non autem de eis,qui non metuunt paruulis damnationem , nec eis ſperant regnum Cœlorum, (quod de Pelagianis Auguſtinus ibidē affirmat) verè dici poſſet, eos paruulis non timere damnationem, ſed à regno excluſionem;quod iſte author Auguſtinum de Pelagianis ſcripſiſſe ibi teſtatur?Sed obijci contra hoc poſſit, nec ſic etiam verè defendi, hunc authorem citaſſe Auguſtini ſententiam ſecundùm ſenſum. Quamquam enim Auguſtinus de Pelagianis affirmaret (vt verè affirmare poſſet) eos non ſperaſſe dæmonibus regnum cœlorum; non rectè indè colligeretur, ipſum de Pelagianis dicere, eos timuiſſe dæmonibus excluſionem à

Digitized by Google

regno cælorum: ergo ſimiliter, quamuis Auguſtinus dixerit Pelagianos non ſperaſſe paruulis non baptizatis regnum Cœlorum, non rectè inde colligitur, ipſum de iiſdem Pelagianis dixiſſe, eos timuiſſe paruulis illis excluſionem à regno Cœlorum; Tam enim malè affecti ac peruerſi eſſe poſſent, vt quamuis paruulis ſi non baptizarentur, non ſperaſſent regnum Cœlorum, non eis timuiſſent excluſionem: vndè ſufficienter cõſtat, ex primo non inferri neceſſariò ſecundum. Non tamen negamus Pelagianos timuiſſe paruulis excluſionem à regno Cœlorum ſi non baptizarentur; cum ideò eos baptizandos eſſe docuerint; ne excluderentur. Vndè verum eſſe fatemur Pelagianos non timuiſſe paruulis damnationem vt Auguſt. ibidem teſtatur, & timuiſſe eis excluſionem: ſed Auguſtinum, hoc vltimum in illis verbis non dixiſſe, contendimus.

8 Eſto tamen, ipſum vtrumque ibi dixiſſe ingenuè, admitteremus; ille author adhuc ſuum intentum contra modernos, beatitudinis naturalis defenſores, inde minimè conclude-

cluderet ; quia moderni illi reſpondere ei poſſent, Auguſtinum ibi aſſignaſſe rationem cur Pelagiani non timuiſſent paruulis illis damnationem, quia ſcilicet nullum putant eos habere peccatum : vnde conuincuntur paruulis illis promittere medium locum, inter damnationem & regnum; cum excluſio à regno, ſecundùm ſenſum Pelagianorum, in eis rationem damnationis habere non poſſit ; non enim excluſio illa paruulis infertur ſecundum Pelagianos propter peccatum, quo ſecundum eorumdem dogma carent, & ſine quo damnatio iuſta eſſe non poſſet; ſed excluſi ideò ſecundum ipſos manent, quia Dominus ſtatuit regnum Cœlorum, non niſi baptizatis poſſe conferri; teſte Celeſtio apud Auguſtinum in libr. de peccat. orig. cap. 5. At vero (vt dicere pro ſe poſſent moderni illi) quicumque prædicant paruulos non baptizatos, etiam beatos, beatitudine naturali, eſſe excluſos à regno propter originale, quod habent : iſtos minimè conuinci, promittere paruulis illis locum medium inter aliquam ſaltem damnationem

nem & regnum ; cum ipſa excluſio ſit eis damnatio, quia ea eis infertur propter peccatum.

Diſputatur fusè an ſententia de beatitudine naturali paruulorum, aduerſetur fortè Euãgelio, & vtrum vehementi ſuſpicione Pelagianiſmi forſan laborare videatur?

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Naturalis infantium beatitudo videtur forte parũ cõformis Euangelio.

1 ALiis igitur mediis magis vrgẽtibus illa ſententia de fœlicitatę naturali paruulorum à nobis improbanda erit. Ex mediis ergo, quæ hic ſe nobis offerre poſſent ad probandam prædictam ſententiam eſſe forſan in primis Euangelio contrariam, illud beati Auguſtini ſolidiſſimum videtur, quo vtitur ſermon. 14. de verbis Apoſtoli, vt conuincat paruulos illos non ſolùm non habere vitam æternam extra regnum Cœlorum, ſed & ſempiternam damnationem habituros eſſe ; quorum vtrumque prædicti Pelagiani negabant. Quia vniuerſi exercitus viuorum ac mortuorum, erunt ſecundùm Euan-

Digitized by Google

Euangelium diſtributi in iudicio vniuerſali, in duas claſſes, dextræ & ſiniſtræ: & omnes qui futuri ſunt in dextra, ibunt in regnum Cœlorum, omnes autem qui in ſiniſtra e-runt, ibunt ſecũdùm Euangelium in ignem æternũ; nullus ergo medius locus relinquitur ſecundùm Euãgelium inter ignem æternum & cœlum, in quo prædicti paruuli poſſẽt frui beatitudine naturali. *Nullus* (inquit Augu-ſtinus cap. 3.) *relictus eſt medius locus vbi ponere queas infantes. De viuis & mortuis iudicabitur, alij erunt ad dextram, alij ad ſiniſtram, nõ noui aliud. Qui inducis mediũ, recede de medio: nõ te offendat, qui dextram quarit, & te ipſum admonet; Recede de medio, ſed noli in ſiniſtram. Si ergo dextra erit & ſiniſtra & nullũ alium locum in Euangelio nouimus: ecce in dextera regnum Cœlorum eſt, percipite* (inquit) *regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. In dextra, ad regnum, vtique æternum; in ſiniſtra in ignem æternum. Qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra; ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum.*

Beatitudini naturali obſtat expreſsè S. August.

vbi ſuprà

Nullus poſt iudicium futurus eſt medius locus creaturæ rationalis inter ignem & regnum cœlorum

Digitized by Google

2 Vel ergo, iuxta hanc beati Auguſtini inſuperabilem fortè complexionem, infantes illi qui reaſſumptis corporibus dicuntur futuri beati, beatitudine naturali erunt beati nuſquàm, quod aſſerere eſſet non ſolùm abſurdum, ſed & ridiculum; vel erunt beati illâ tantùm naturali beatitudine, in cœlum admiſſi ſine baptiſmo; quod dicere ipſi Pelagiani contra expreſſum Chriſti teſtimonium, non audebant; vel erunt beati beatitudine naturali in ſempiternis flammis exiſtentes; quod admittere, beatitudinis naturalis fabricatores, chymericum eſſe viderũt, qui propterea paradyſum terreſtẽ illis ædificauerunt, ſed fortè cõtra Euangelium Chriſti, quod nullum medium locum pro damnatis agnoſcit in deſcriptione vniuerſalis iudicij viuorum & mortuorum: vt manifeſtè illa Auguſtini raciocinatio conuincere videtur; quæ ſemper inuicta fortè manebit, quantumcumque quiſpiam illam illudere ac vincere ſuis argumentis conabitur. Cuiuſcumque enim parùm ſolidis ſyllogiſmis quibus ſe Auguſtinum vincere putaret, ipſe iam-

Digitized by Google

reſponſum præparauit, Epiſt.174. vbi ſcribit, *Facilè eſt vt quiſque Auguſtinum vincat, videris vtrum, veritate an clamore?*

3 Dicetur, hanc ſententiam de beatitudine naturali paruulorum, ſaltem non pati ſuſpicionem Pelagianiſmi; quia non negat prædictos paruulos eſſe in damnatione, cum omnes eſſe excluſos à regno propter peccatum affirmet; vndè conuinci non poteſt quærere illis locum medium alicuius fœlicitatis, aut quietis inter damnationē regnumque Cœlorum, quod in Pelagianis Auguſtinus ſemper tamquam Pelagianiſmum improbabat. Quaſi iſta ſententia improbanda non eſſet, licèt inuidiâ Pelagianæ hæreſis nō laboraret; ſi aliundè Euangelio contrariaretur, vt contrariari ex ſupradictis fortè colligitur; vel quaſi in Pelagianiſmum incidere non poſſet, niſi negaſſet paruulos habere damnationem? Quid ſi apertè negaſſet eos habere originale? Nonnè apertè Pelagianiſmi conuinceretur? Si igitur predicando eos futuros beatos, & ab omni pœna ſenſibili immunes, à gehenna eos liberat; nonnè & ab *Occurritur cuidam reſponſioni.*

originali eos cōſequenter liberare fortè conuincitur, (vt doctiſſimus ille modernus ſæpè ſupià memoratus clarè fatetur) imò & à dānatione? quia ſi paruuli illi probātur non habere originale; nō eſſe in patria (quod ſolū, ſi beati ſunt, pœnale, ſecundū Theologos modernos habent) nihil habet de ratione dānationis, quod non haberet ſi in puris naturalibus morerentur. In quo ſtatu, non eſſe in patria, non fuiſſet in eis damnatio.

4 Sed ſequeſtratis parūper prædictis principiis, indagatur an hæc ſententia de beatitudine naturali parūulorum, directè aduerſetur eorum damnationi æternæ. Indagandum eſt igitur an non ille qui liberat paruulos illos ab igne ſempiterno, quātumuis aſſerat excluſos à regno propter peccatum; liberare eos fortè videatur à damnatione de qua Scripturæ loquuntur, de quaque inter Auguſtinum & Pelagianos quæſtio verſabatur.

pœna quā vocant damni eſt omnibus communis, grauis, & moleſtiſſima.

5 Quod vt diſtinctius percipiatur, ſupponendum eſt excluſionem à regno, ſeu alienationem à vita Dei, eſſe quādam damnationē, ſeu pœnam omnibus damnatis cōmunem & mole-

moleſtiſſimã; quia ſi ſola eſſet, vt notat Aug. in Enchirid. cap. 112. *tam grãdis eſt pœna, vt ei* (inquit) *nulla poßint tormẽta, quæ nouimus, cõparari, ſi illa ſit æterna, iſta ſint quãlibet multis ſæculis lõga.* Nimirũ rectè: quia quãuis ſola illa alienatio directè in pœnã infligeretur; ex ea inſeparabiliter, tãquam eius effectus, ſumma triſtitia in punito ſequeretur; quia à re quam naturaliter amaret ſepararetur. Propter quod Auguſt. Pelagianos vrgebat ad fatendum in paruulis ſine baptiſmo morientibus aliquam damnationem; quia tandem in eis admittebant hanc à vita Dei alienationem, quamuis eam eſſe damnationem negabant.

6 Non ergo negamus hanc alienationem ſeu excluſionẽ eſſe damnationẽ, ſed eam non eſſe vltimã aut alicuius totam damnationẽ, de qua Scripturæ loquuntur, ex Scripturis & Auguſtino, cõtendimus. Dãnatio enim nouiſſima, quâ digni ſunt omnes, qui in peccato naſcũtur, cuiuſq; debitum omnes certiſſimè reciperent, ſi per gratiam à maſſa perditionis aliqui nõ liberarẽtur; quamq; Scripturæ, ſiue pronũciant, ſiue minãtur, in illis locis, *Ex vno*

Digitized by Google

Rom.5. *omnes in condemnationem, &, Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem;*
Marci 16. *&, Qui non crediderit, condemnabitur*; damnatio inquam illa in Euangelio Chriſti deſcribitur ac declaratur, qualis futura ſit. Iudex enim ad iudicium vniuerſale viuorum ac mortuorum venturus,& ſententiam pronunciaturus, ſiue damnationis contra eos qui in libro vitæ ſcripti non fuerint, ſiue ſaluationis & glorificationis pro eis qui in eodem libro ſcripti reperientur; *duas partes facturus eſt* (vt Auguſtinus loquitur) *dextram & ſiniſtram: ſiniſtris dicturus, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius; dextris dicturus, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Hanc regnum nominat hanc cum Diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus.* Quid clarius?

7 Manifeſtiſſimum eſt igitur ſecundùm Auguſtinum ex verbis Chriſti Domini, dãnationem æternam ad partem tantum ſiniſtræ pertinere, quæ itura eſt in ignem æternum;ergo nullus qui non erit in ſiniſtra,qui-

que

que conſequenter in ignem æternum per illam ſententiam non ibit, damnatus in æternum ab illo vniuerſali iudice dici poteſt; ergo cum de fide certum ſit paruulos illos futuros damnatos *(qui enim non crediderit, condemnabitur)* certum etiam erit, eos tunc non alibi damnatos; quàm in igne æterno, & ideò æternaliter damnatos; quia eò per ſententiam iudicis (vbi torquebuntur propter peccatum, vtraque morte, primâ & ſecundâ dignum, quod in Adam commiſerunt) mittentur.

8 Et hanc eſſe vltimam damnationem Scripturis notam, & ab eis prædicatam, certiſſimis documentis ex iiſdem Scripturis & Auguſt. depromptis, ampliùs confirmare poſſumus. Ipſe enim libr. 20. de ciuit. cap. 6. ſequentia verba ſcribit. *Venit enim hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent, id eſt, in damnationem non venient, quæ ſecunda mors dicitur.* & cap. 9. eiuſdem lib. *Et ideo cum dies venerit, quo fiat & corporum reſurrectio; non ad vitam de monumentis procedent, ſed ad iudicium, ad damna-*

Punitio ignis æterni eſt vltima cuiuſcunque peccatoris condemnatio & mors ſecunda.

Digitized by Google

damnationem ſcilicet, quæ ſecunda mors dicitur. & tractat. 43. in Ioann. ſuper illa verba, *Mortem non videbit in æternum; mortem ſecundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum Diabolo & Angelis eius*. & de nupt. & concup. lib. 2. cap. 27. *Nec per Moyſem lex data regnum potuit mortis auferre, quæ non regnat vtique, niſi per peccatum: regnum porrò eius eſt, vt hominem mortalem, in ſecundam etiam, quæ ſempiterna eſt, præcipitet mortem*. Hoc de mortis ſiue peccati regno, rectè explicatur in Enchirid. ca. 26. *Hinc, poſt peccatum* (ait) *exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando, in ſe tamquam in radice vitiauerat, pœnâ mortis, & damnationis obſtrinxit; vt quicquid prolis ex illo & ſimul damnata per quam peccauerat coniuge, per carnalem concupiſcentiam (in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt) naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per dolores erroreſq; diuerſos, ad illud extremum cum deſertoribus Angelis, vitiatoribus, & poſſeſſoribus, & conſortibus ſuis, ſine fine ſupplicium.*

9 Vnde rectè Auguſt. notat libr. 13. Trin.

cap. 15.

cap. 15. diabolum inuigilare ſemper vt redemptos ſecum trahat ad ſecundam mortem. *In hac* (inquit) *redemptione tanquam precium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti*; *quo accepto diabolus non ditatus eſt , ſed ligatus, vt nos ab eius nexibus ſolueremur* ; *nec quemquam ſecum eorum, quos Chriſtus ab omni debito liber, indebitè fuſo ſuo ſanguine redemiſſet, peccatorum retibus inuolutum traheret ad ſecũdæ, ac ſempiternæ mortis exitium.* Lege c.13. libr. de bon. perſeu. vndè apertè colligitur damnationem æternam eſſe mortem ſecundam.

10 Si ergo ex prædictis clarè conſtat damnationem æternã de qua Scripturæ loquuntur, eſſe ignem æternum, ſeu mortem ſecundam, quæ ab eiſdem Scripturis definitur eſſe ſtagnum ignis, vt habetur ca. 20. & 21. Apoc. in quod mittentur omnes qui in libro vitæ ſcripti non reperientur, vt eadẽ Scriptura ibidem teſtatur: An non apertè fortè ſequetur eos qui ab igne æterno immunes prædicantur, à dãnatione æterna, quã Scripturæ prædicant (quæ eſt nouiſſima dãnatorũ mors, ac

Quicunq; poſt iudicium fuerit liber ab igne gehennali, ab omni damnatione æterna liber futurus videtur.

 malo-

Digitized by Google

malorum finis) conſequenter eſſe liberos, quantumuis dicantur à regno tantùm excluſi, ſeu à vita Dei alienati (per quod mortem omnibus damnatis communem intelligi non negamus, quia per hoc vitâ priuati, ac conſequenter mortui intelliguntur) illa enim ſola alienatio numquam mortem vltimam, qua omnes damnati poſt iudicium moriuntur, re ipſâ cauſat, aut etiam per intellectum conſtituit, niſi ei addatur aut addi intelligatur cruciatus perennitas. Propter quod præclarè Auguſt. lib.6. de ciuitate cap. 12. definiens vltimam animæ mortem. *Summa mors animæ* (inquit) *eſt alienatio à vita Dei in æternitate ſupplicij.* Imo lib.13. ciuit. c.2. & libr.19. cap. vltimo, adhuc expreſſiùs docet mortem illam ſecundam, quæ eſt totius hominis, & damnatio eius æterna, ſiue vltima eius pœna, includere alienationem à vita Dei, quæ eſt mors animæ, & æternum cruciatum dolorum in corpore, qui mors corporis dicitur: quia (vt rectè ipſe ibidem) *nec anima ibi viuere dicenda eſt, quia non viuit ex Deo, ſeu quæ à vita Dei aliena erit, nec corpus,*

quod

quod æternis doloribus ſubiacebit, ſeu in quo anima non viuendi cauſa eſt, ſed dolendi.

11 Si igitur ſuprà dicta principia ſolida ſunt; iudicet attentè lector, an omnes qui prædictos paruulos prædicant futuros vel in lymbo puerorum à damnatis adultis ſeparatos, ſine aliquo dolore, ſiue interno ſiue externo, vel in paradyſo aliquo terreſtri, cum pleno gaudio & beatitudine naturali; eiſdem promittant medium locum inter damnationem æternam, vltimam ſcilicet Scripturis notam, ac à Chriſto Domino in Euangeliis declaratam, & inter regnum cœlorum; quod Eccleſia & Auguſtinus in Pelagianis ſemper execrabantur, qui hoc dogma de beatitudine naturali illorum paruulorum, primò pepererunt, vt conſtat ex eodem Auguſtino, maximè lib. de prædeſtin. Sanct. cap. 13. & lib. 1. de orig. animæ, cap. 9. illis verbis. *Et non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumque cælorum, quietis vel fœlicitatis cuiuſlibet, atque vbilibet, quaſi medium locum. Hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit.* & lib. 1. ope. imperf. contra Iulian.

Inter illa duo nullus erit medius locus pro infantibus.

num. 128. *vt ſi non in regno eius, certè in loco aliquo ſecundæ fœlicitatis, quem talibus ædificauit hæreſis veſtra, teneant ſempiternum*, id eſt, æternitatem, & libro 2. eiuſdem operis numero 112. *Vos reſpondete quid ſitis, qui tot imagines Dei, ſine vllius peccati merito, ſeparatis à regno Dei; & facitis duas æternas fœlicitates, vnam quæ ſit in regno, alteram quæ ſit extra regnum Dei.* & libro 4. contra Iulianum cap. 3. *An fortè & iſtis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute ciuili non verâ, ſed veriſimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ ſeruierunt; Fabricijs videlicet & Regulis & Fabijs & Scipionibus & Camillis, cæteriſque talibus, ſicut infantibus, qui ſine baptiſmo moriuntur, prouiſuri eſtis aliquem locum inter damnationem, regnumque cœlorum, vbi non ſint in miſeria, ſed in beatitudine ſempiterna.* Et libro 1. oper. imperf. contra eundem Iulianum numero 48. impugnans locum medium vbi infantes eſſe poſſent: *Ille verò* (inquit) *quem ſperat iudicem rationalis creatura quæ in ſanctis eius eſt & fidelibus*

Digitized by Google

delibus , lege nobis vbi præter regnum bonis & ſupplicium malis, tertium locum præparauit & promiſerit non regeneratis innocentibus tuis?

12 Videant ergo authores beatitudinis naturalis, ſi ſuprà dicta principia ſatis ſolida ſunt, eamque inter ſe concatenationem vere habeant, quam habere videntur; an hæc ſententia de beatitudine naturali paruulorum obnoxia fortè ſit vehementi ſuſpicioni pelagianiſmi: ex duplici capite; ſi videlicet directè negare fortè conuincitur paruulos ire in demnationem æternam, vltimam ſcilicet, Scripturis notam; &, ſi etiam euacuare in eis forſan conuincitur Originale, negando eis eandem damnationem, vt latè in ſuperioribus ex Auguſtino & Scripturis diſputauimus.

Confertur grauitas peccati originalis, eiuſque pænarum cum aliorum peccatorum, eorumque pœnarum grauitate; & indagatur an damnatio æterna ei debeatur ratione ſui?

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Paccatum orig. eſſe omniũ peccatum minimum, eique ratione ſuæ grauitatis non deberi pœnam æternam, quidam aſſerunt.

1 MVltùm igitur quidam Magiſtri aliàs doctiſsimi à ſenſu B. Auguſtini de peccato originali, deque eius pœnis abhorrere videntur, qui ſatis confidenter affirmant, *peccatum illud eſſe omnium peccatorum minimum, minuſque veniali; minoremque pœnam ei deberi quàm peccato veniali, & ideò æternam pœnam ei non deberi ratione ſuæ grauitatis, ſed ratione ſubiecti, ſcilicet hominis, qui ſine gratia inuenitur, per quam ſolùm fit remiſsiò pœnæ; ſicuti ſimiliter peccato veniali pœna æterna aliquando debetur, non ratione ſui, ſed ratione conditionis ſubiecti in quo eſt, quando ſcilicet inuenitur in aliquo damnato.* Eſſe autem omnium peccatorum minimum inde ſibi perſuadent: quia minimum habet de voluntario;

tario; non enim eſt voluntarium voluntate (vt inquiunt) iſtius perſonæ, ſed voluntate principij naturæ tantùm: peccatum, autem actuale, etiam veniale, eſt voluntarium voluntate ipſius in quo eſt.

2 Nec obſtat (inquiunt) quod originale non compatitur ſecum gratiam; priuatio enim gratiæ ſiue iuſtitiæ originalis non habet rationem culpæ, ſed pœnæ, niſi in quantum ex voluntate eſt: vndè vbi minus eſt de voluntario, minus eſt de culpa. En quò perduxit tàm imbecille ratiocinationis motiuum authores inſigniter graues, vt non dubitauerint affirmare originale eſſe minus veniali, & conſequenter minori pœnâ dignum; & quia viderunt veniali, ratione ſui pœnam æternam non deberi, vt conſequenter loquerentur, originali ratione ſui ſeu ſuæ grauitatis, damnationem æternam negauerunt.

3 Contra hanc tamen doctrinam obijci poteſt, ex ea ſequi, veniale peccatum non ſolùm eſſe maius peccatum quàm originale, & maiori pœnâ dignum, ſed & poſſe eſſe, eâdem regulâ, maius peccatum quàm actuale mortale *Prædicta opinio reijcitur.*

tale

tale & maiori pœnâ dignum; conſequens videtur eſſe contra totius Eccleſiæ Catholicæ ſenſum; ergo &c. Sequela probatur, quia in multis peccatoribus quotidiè reperiuntur peccata venialia ex plenâ deliberatione & ſcientiâ commiſſa, atque adeò plenè voluntaria, & peccata actualia mortalia non plenè certè voluntaria, quia ex ignorantia procedunt, vt iſtimet Theologi de ignorantia diſputantes fatentur, & patet ex Auguſtino lib. 3. de liber. arbit. cap. 18. & de natura & gratia cap. 67. in quibus locis probat facta quædam per ignorantiam improbanda & corrigenda eſſe, quamuis non ſint plenè, voluntaria: quod intelligit ibi per illa verba. *Nec mirandum eſt quod vel ignorando non habet liberum arbitrium voluntatis ad eligendum, quid rectè faciat*; non enim ibi intelligit hominem ex ignorantia operantem carere omninò libero arbitrio, aliàs non diceret factum eius improbandum eſſe, & miſericordiâ imploratâ corrigendum; ſed intelligit eatenus eſſe indiſpoſitum atque impeditum ad operandum plenè voluntariè, quatenus ei deeſt

Digitized by Google

deeſt ſcientia, quæ ſi adeſſet, actum culpabilem impediret; & in ſuprà dictæ veritatis probationem adhibet illud Pauli, *Qui priùs blaſphemus fui, perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorãs feci.* Ergo peccata venialia plenè voluntaria v. g. immoderati riſus, aut verbi otioſi, aut diuagationis mentalis inter orandum, erunt maiori pœnâ digna, & maiora multis flagitiis, quæ homines ex ignorantia vincibili quotidiè perpetrare ſolent, imò & maiora peccatis illis blaſphemiæ, contumeliarum, & perſecutionis contra Eccleſiam, quæ ibi Paulus enumerat: illa enim venialia magis habent de volũtario quàm iſta mortalia, atque adeò magis de ratione peccati habere conuincentur, & conſequenter maiori pœnâ digna erunt: vel igitur iſta doctrina improbanda eſt, vel hoc admittendum, quod nullus Catholicus credo dicere audebit.

4 Item inconcuſſe tenendum eſt peccatũ veniale maculare aliquo modo peccantem quia ab eo anima, etiam iuſti hominis emundatur & abluitur, quod fieri non poſſet, *Veniale peccatum maculat animam.*

niſi ei aliqua immunditia adhæreret. Quam veritatem ſapientiſſimè colligit Auguſtinus tractatu 56. in Ioan. ex illo Euãgelij, *Qui lotus eſt non habet opus, niſi pedes lauare, ſed eſt mundus totus*, vbi per lotionem pedum intelligit emundationem à venialibus. Indéque infert *Eccleſiam in iuſtis adultis qui hìc demorantur, quamuis munda ſit, quoniam iuſtè viuunt, opus habere, quia calcant terram, vt pedes lauet*, quoniam ſine peccato non ſunt; quod de veniali intelligi oportet, vt ex contextu ibi clarè colligitur, & quia aliud peccatum cum vita iuſta & mundâ compati non poteſt; idque ibidem confirmat ex alia illa Scriptura. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt dimittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate:* id eſt, inquit, *vſque ad pedes, quibus conuerſamur in terra*; per quod intelligit humanos affectus venialiũ, ſine quibus in hac mortalitate non viuitur: & ſuper eundem locum Apoſtolicum (*vt emundet nos ab omni iniquitate*) ſcribit tract. 1. in Epiſtolam 1. Ioan. *non tantum præterita, ſed & ſiqua fortè contraximus ex hac vita,*

quia

Digitized by Google

quia non poteſt homo quamdiù carnem portat non habere vel leuia peccata. Vnde idem Sanctus Doctor de emundatione iuſtorum à venialibus tractans tract. 80. in Ioan. ſuper illa verba, *Iam vos mundi eſtis*, ſubijcit. *Quis enim eſt in hac vita ſic mundus, vt non ſit magis magiſque mundandus? vbi ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt: ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet itaque mundos, id eſt, fructuoſos, vt tantò ſint fructuoſiores, quantò fuerint mundiores.*

5 Quibus ſic conſtitutis, opponi poteſt contra ſuprà dictam rationem de voluntario, quod cum peccatum, quo peccatum eſt, eo ipſo ſit macula, quæ peccantem maculat; ſi originale, quia minùs voluntarium eſt quàm veniale, eſt minùs peccatum, conſequens videri eſſe minùs maculans ſeu minùs idoneum ad maculandum: ergò minùs maculabit animam quàm veniale; ſed certiſſimum eſt veniale non ita maculare peccan-

Orig. peccatū magis maculat animam quàm veniale.

tem vt ab eo ſimpliciter denominetur maculatus & ſordidus, nec reddere ipſum prorſus ac totaliter immūdum ac pollutum: ergò peccatum originale nō maculat animā ſimpliciter, nec ipſam reddit totam immundam atque pollutam. Quis autem hoc concedere non formidaret, niſi qui magno præſūptionis laqueo ſemetipſū innectere nihil curaret? Cum ergò peccatum originale ſit vnum ex profundiſſimis arcanis eorum, circa quæ noſtra fides verſatur, vt ex illo Auguſtini loco de moribus Eccleſiæ Catholicæ ca. 22. colligitur (*propter antiquum peccatum, quo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*) mirandum eſt, quali auſu prædicti authores ſine Scripturarum aut Sanctorum Patrum authoritate in ſimiles regulas loquendi & ſentiendi de eo irruunt, aſtruendo ipſum eſſe minimum omnium peccatorum, ac conſequenter minus peccato veniali & minori pœnâ dignum. Quid enim vicinius videtur, aut fortaſsè tàm conſequens, quàm vt credito quod minimum omnium peccatorum ſit, & minus veniali ac

Digitized by Google

li ac minori pœnâ dignum, & ideò æternâ damnatione, ratione ſui indignum, etiam peccatum non eſſe credatur. Non eſt enim veniale, vt diuinâ fide Eccleſia vniuerſa credit, nec mortale actuale quod nobiſcum non oritur, ſed à nobis agitur; nec eſſe poteſt illud originale quod Scripturæ & antiqui Patres prædicant: ergò ſolùm erit peccatum nomine tenùs ab iſtis excogitatum. Cõſequentia euidens videtur. & minor quoad vltimam partem probatur, quia peccato originali, quod Scripturæ & Patres agnoſcunt, debetur iuſtiſſimè tanquàm pœna non ſolum mors prima, ſed & mors ſecunda, quæ eſt ſtagnum ignis, ſeu æterna damnatio (vt latiſſimè cum B. Auguſtino in ſuperioribus, ex Scripturis diuinis vidimus, & vt de damnatione æterna tota Eccleſia contra Pelagium credit) ergò originale, cui minor pœna debetur quàm veniali, cui ratione ſui, tantùm temporalis pœna debetur, erit omninò alienum à peccato originis, de quo Scripturæ & Patres loquuntur.

6 Dicetur damnationem æternam non

 deberi

Refellitur quædam reſponſio. deberi originali ratione ſui; ſeu ratione ſuæ grauitatis, ſicut nec veniali, ſed ratione ſubiecti, ſcilicet hominis, qui ſine gratia inuenitur, per quam ſolam fit remiſſio pœnæ; quemadmodum ſimiliter veniali aliquando ratione ſubiecti in reprobo damnato æterna damnatio debetur. Sed contra hoc clamare videntur tonitrua Scripturarum, Conciliorum & Sanctorum; *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit &c.* Quod aliter rectè intelligi nõ poteſt, teſte B. Aug. de bono perſeu. c.12. niſi inde deducatur *non regeneratos paruulos, ſi ſic moriantur, tranſire in mortem ſecundã, quæ iuſtiſſimè eſt retributa peccato.* Non dixit, ſubiecto quia non habet gratiam. *Item ex vno omnes in cõdemnationem,* & paulò pòſt, *per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem:* & iterum, *Nam iudicium quidem ex vno in cõdemnationem.* Super quæ verba Auguſt. lib.1. de peccat. merit. cap. 13. *Nam iudicium quidem ex vno delicto, ſi non remittitur, id eſt, originali in condemnationem;* & ibidem cap. 12. *Imò vero nos intelligamus Apoſto-*

Apoſtolum ac videamus ideò dictum, Iudicium ex vno delicto in condemnationem; quia ſufficeret ad condemnationem, etiamſi non eſſet in hominibus niſi originale peccatum.

7 Præterea Arauſic. & Trident. definiũt originale eſſe mortem animæ: ſed morti animæ ratione ſui debetur pœna æterna; ergò & originali: morti enim primæ, qua peccatrix anima diſcedit à creatore ſuo, debetur mors ſecunda, quæ eſt vltimum eius ſupplicium, vt ex ijs quæ ex Scripturis & PP. ſupra adduximus c. 4. 5. 6. 11. 12. 13. & 24. clarè colligitur. Nec video (licet forte alij videant) quomodo poſt Eccleſiæ victoriam de Pelagianis hoc in dubium verti poſſet, ſicut nec ambigitur mortali actuali deberi damnationem ratione ſui, & non quia eſt in ſubiecto gratiam non habente. Vnde ipſimet Pelagiani, quia videbant conſequens eſſe, vt ſi in paruulis admitteretur originale, damnationi æternæ ratione illius peccati eſſent obnoxij, illud negabant, putantes Deum ab iniuſtitia aliter ſaluari non poſſe. Contra quos Catholici e contrario opponebant damnationẽ paruulorum

Peccato orig. ratione ſui debetur æterna pœna, non ratione ſubiecti.

Digitized by Google

lorum ſine regeneratione decedentium, ex Scripturis manifeſtè colligi, quod contingere ſine iniquitate Dei non poſſet, niſi paruuli eſſent peccato alieno obnoxij, ratione cuius damnarentur, cum peccatis propriis in ea ætate eſſe non poſſent. Quis ergo dubitare poteſt fuiſſe ſemper indubitatum Eccleſiæ ſenſum, paruulis ſine baptiſmo decedentibus damnationem æternam deberi ratione tantùm peccati?

8 Iudicet igitur pius lector an tenendum ſit, ſi Scripturis, Concilijs & Patribus credatur, damnationem æternam infanti deberi ratione peccati originalis, & non ratione ſubiecti gratiam non habentis, quatenus à peccato vt ſic præſcinditur: illud enim ſubiectum etiam non habens gratiam, atque vt ſic ab originali præciſum, non intelligitur cum aliquo peccato; ergo vt ſic intelligi non poteſt cum aliquo, quod æternam pœnam meretur, quæ ſoli peccato debetur; quia *omnis pœna ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt*, teſte Auguſtino: ergo ſubiectum illud non habens gratiam, atque vt ſic ab originali præciſum non

libr. 3. de lib arb. cap. 18. Omnis pœna iuſta peccati pœna eſt.

Digitized by Google

non poteſt eſſe ratio cur pœna æterna peccato originali debeatur : ſi ergò peccato originali ratione ſui æterna damnatio non debetur , nullo modo illa ei debetur ; atque adeò Pelagiani , qui paruulos ab omni damnatione eſſe liberos contendebant, Eccleſiam Catholicam vicerunt. Neceſſariò igitur concedendum videtur paruulum non habentem gratiam, ideò mereri æternam damnationem , quia habet peccatum originis : peccatum autem originale paruulorum nõ ideò mereri damnationem, quia eſt in ſubiectis gratiam non habẽtibus, ſed quia eſt præuaricatio , qua omnes paruuli non ſecundùm vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundùm cummunem generis humani originem in illo vno teſtamentum Dei diſſipauerunt , in quo omnes peccauerunt, vt rectè Anguſtinns lib. 16. de ciuit. c.27. teſtamentum, inquam, illud primum, *Qua die ederitis, morte moriemini*, quod complexum eſt(vt colligitur ex libr.13.ciuit.ca.12.) quidquid mortis eſt vſque ad nouiſſimam quæ ſecunda dicitur.

Digitized by Google

9 Accedit ad hæc, quod cum prædicti Theologi affirment, ideò peccatum veniale non inducere ex ſe, ſeu ſecundùm ſe reatum pœnæ æternæ, quia non tollit ordinem ad vltimum finem, nec ei contrariatur, eos obſtringi poſſe ad aſtruendum peccatum originale inducere ex ſe reatum pœnæ æternæ, imò & ad docendum ipſum non tollere ordinem ad vltimum finem, nec ei contrariari; quæ apertam inuoluunt repugnantiam; quia ſi ideò ſecundum ipſos veniale non inducit ex ſe reatum pœnæ æternæ quia non tollit ordinem ad vltimum finem, nec ei contrariatur, conſequens omnino videtur ipſum inducturum fuiſſe ex ſe ſeu ratione ſui reatum pœnæ æternæ, ſi tolleret illum ordinem ad vltimum finem, aut ſi ei contrariaretur. Quod ſi concedatur, vt concedere neceſſe eſt, conſectarium vlteriùs eſſe videtur omne peccatum quod tollit ordinem ad vltimum finem, quodque ei contrariatur inducere ex ſe reatum pœnæ æternæ; ſed originale ſecundùm fidem tollit ordinem ad vltimum finem, eique contrariatur: ergo inducit ex ſe rea-

Digitized by Google

ſe reatum pœnæ æternæ. Iterùm vice verſâ, omne peccatum quod tollit ordinem ad vltimum finẽ, quodque ei contrariatur, inducit ex ſe vt viſum eſt reatum pœnæ æternæ: ergò peccatum quod illum reatum ex ſe non inducere aſſeritur, non tollit ordinem ad vltimum finem, nec ei contrariatur(rationi enim auerſionis, quæ eſt in omni peccato; quo anima mortua eſt, correſpondet ſecundùm hos authores pœna damni, qua ſecundùm leges diuinæ æquitatis, ſi ſic à Deo auerſa, ex hac vita deceſſerit in æternum plectitur) ſed peccatum originale non inducit ex ſe reatum pœnæ æternæ, vt iſti authores docent, ne aliàs cõtra prædictum illud ſuum principium de voluntario (vndè colligunt originale eſſe minimum omnium peccatorum, atque adeo minùs quàm veniale) cogantur rursùm inconſtanter aſſerere illud eſſe maius iſto, ſi ei ex ſe, ſeu ratione ſui debetur pœna æterna, quæ peccato veniali ratione ſui nunquam debetur: ergo originale non tollit ordinem ad vltimum finem nec ei contrariatur; nihil igitur in paruulo recèns

nato inueniri poteſt, quod eum à Deo vltimo fine auertit; fruſtrà ergò baptizatur, quia ſi non eſt ab vltimo fine per peccatum originale auerſus, nullam neceſſitatem habet vt Chriſtianus fiat.

10 Confirmari poteſt, nam in ſtatu puræ naturæ (ad quem ſæpe iſti authores libenter recurrunt) paruulo non habenti gratiam nulla damnatio deberetur; non rectè ergò ab eis aſſeritur damnationem deberi peccato originali ratione ſubiecti non habentis gratiam, cùm negare ipſi non poſſunt, dari poſſe infantem non habentem gratiam ſine aliquo debito damnationis.

12 Reſponderi fortè poſſet, non habere gratiam in paruulo ſtatus puræ naturæ non mereri æternam damnationem; quia in illo paruulo non habere gratiam, nõ eſſet gratiæ priuatio, ſed pura negatio, cum ei gratia non deberetur, ſecùs in paruulo huius ſtatus, cui gratia ex pacto Dei ab initio debebatur; vndè nõ habere gratiã, illi nõ eſſet culpabile, iſti autem culpabile eſt non habere gratiam, quã habere debuit, atque adeò non habere gratiã

in

in iſto meretur æternam damnationem, in illo autem non mereretur.

12 Hæc tamen Reſponſio mirabiliter claudicat, nàm ſi in paruulo huius ſtatus naturæ corruptæ ſecludatur peccatũ originale, ab ipſomet paruulo gratiam non habente (vt prædicti authores ſecludunt, dicentes dãnationem æternã non deberi originali ratione ſuæ grauitatis, ſed ratione ſubiecti in quo eſt, quia non habet gratiam) non habere gratiã, erit in illo tantùm pœna ſeu effectus peccati, non verò peccatum aut culpa, cui ſola damnatio æterna debetur: falsò ergo aſſeritur non habere gratiam in paruulo, quatenus in eo, non habere gratiam condiſtinguitur contrà peccatum originale, mereri æternam damnationem, & ideò peccatum originale non ratione ſui, ſeu ſuæ grauitatis, ſed ratione ſubiecti, ad inſtar venialis, mereri eam. Et verè ſi non habere gratiam intelligunt pro negatione gratiæ, ſeu iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe paruulo (in qua contra Auguſtinum, & fortè contra veritatem, vt aliàs latiùs) rationem peccati originalis

 conſti-

conſtituere ſolent) duplex in paruulo peccatum originale prædicare videntur: vnum minimum omnium peccatorum, cui ratione ſui damnatio æterna non debetur: alterum per quod illi peccato minimo damnatio debetur; quod eſt alienum à ſenſu Catholicæ Eccleſiæ, quæ vnum in paruulo peccatum originale credit, & cui iuſtiſſimè ratione ſui damnatio æterna debetur, & cuius ſola ratione paruulus ſine baptiſmo decedens damnatur.

Falſum videtur peccatum orig. eſſe omnium peccatorũ minimum.

14 Falſum ergo & à Scholis exterminandum videtur peccatum originale eſſe omniũ peccatorum minimum, atque adeò minus veniali, & minori pœna dignum, & tandem non mereri æternam damnationem ratione ſui, ſeu ſuæ grauitatis, ſed ratione ſubiecti nõ habentis gratiam ad inſtar peccati venialis, quod aliquando ratione ſubiecti tantùm meretur æternam damnationem. Longe aliter Sancti Patres ſentiunt & loquuntur, qui adeò exagerant peccatum Adami, quod ad poſteros tranſiit, vt ſæpiſſimè illud vocent, *peccatum magnum*, non ſolùm quia ad omnes tranſit,

Digitized by Google

tranſit, ſed quia ſecundum eoſdem & Concilia homo per illud ſecundum corpus & animam in deterius mutatus eſt) quique etiam ipſum peccatum originale vocant *antiquam ſerpentis plagam, antiqui criminis pondus, priſtinum facinus, læthale vulnus, quo humanum genus claudicat, labem corporeæ inundationis, nequitiam, contagium mortis antiquæ, peccatum quod omnia contaminauit*: iſta ſignificare minime videntur originale eſſe omnium peccatorum minimum, cuius grauitas ex damnatione æterna, quæ ei indubitanter ratione ſui debetur facilè deprehendi poteſt, etiamſi in ſola excluſione à regno conſiſteret, (vt iſti authores contendunt) quia ſimili etiam damnationi nulla pœna quam hic nouimus comparari poteſt, vt rectè Auguſt. in Enchyr. cap. 112. *ſed in ira ſua, quæ ſi ſola eſſet, quanta ibi minima cogitari poteſt, perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit timentibus ſe, perfecit autē ſperātibus in ſe, tam grandis eſt pœna, vt ei nulla poßint tormenta quæ*

nouimus

Digitized by Google

nouimus comparari, ſi illa ſit æterna, iſta autem ſint quàmlibet multis ſaculis longa finienda.

Paruulorũ nõ regeneratorũ pœna omniũ eſt mitiſſima licet æterna & ſenſibilis.

15 Nec obſtat eundem Magiſtrum libr. ſuprà citato cap. 93. docentem pœnam paruulorum eſſe omnium mitiſſimam; comparat enim ibi pœnam paruuli cum tota pœna cuiuſcunque reprobi adulti, quam ſic comparatam vocat mitiſſimam, quia adulti reprobi habent vehementem triſtitiam ob amiſſionem regni,& vltrà hoc propria actualia,propter quæ acerbiùs & grauiùs puniuntur, quàm ſi in ſolo originali, vt paruuli, ex hac vita decederent. Vnde idem Doctor Epiſtola 106. *ac per hoc quàmlibet tolerabilius omnibus qui etiam propria peccata committũt, tamen æterna morte multari.* Ad quam doctrinam alludens Florẽtinum in literis vnionis,definit adultos reprobos & paruulos ſine baptiſmo decedentes, in inferno diſparibus pœnis puniendos fore. Quæ diſparitas non in eo conſiſtit quòd paruuli punientur pœnâ damni tantùm, adulti autem pœnâ tàm damni quàm ſenſus: ſed in eo quòd illi punientur

Digitized by Google

nientur pœnis mittiſſimis (vt loquitur Auguſtinus) ſed ignis & triſtitiæ; pœnis inquam mitiſſimis, quia minimè ſufficiunt, nunquamque adhibentur ipſæ aut aliæ ſimiles in lenitate vlli adulto reprobo puniendo, quia peccatum actuale mortale ſine quo nullus adultus damnatur, grauiores & acerbiores multò pœnas ignis & triſttiæ meretur: iſti verò pœnis adeò duris & acerbis vt nunquàm ſimiles in grauitate ac acerbitate adhibeantur paruulo alicui plectendo: cum eius peccatum quia non propriâ ipſius, ſed alienâ voluntate commiſſum eſt, tàm acerbas atque graues ignis & triſtitiæ pœnas nunquam mereatur.

16 Ad rationem illam de voluntario quæ hos authores conuicit, quanquam non erat opus repõdere, quia eam ſuprà manifeſta inſtantia explosimus, dicendũ videtur, in peccato quæ eſt mors animæ, quale eſt originale, reperiri præter rationem voluntarij, rationem auerſionis ab incommutabili bono, ſeu rationem alienationis à vita Dei, quæ ſunt magis propriæ peccato mortali quam

Reſpondetur ad argumenta in oppoſitũ.

ratio voluntarij, in qua conuenit non ſolùm cum veniali, ſed cum actibus bonis meritoriis. Vndè cum veniale etiamſi in infinitum intra latitudinem ſuæ ſpeciei creſceret, non auerteret omninò à Deo, nec ab eius vita alienaret, cum animæ vitam ſupernaturalem per quam Deo adhæret, non tolleret: non ſolùm ſuperare non poteſt in grauitate aut magnitudine originale, ſed nec ei in his aliqua ex parte æquari.

Pecc. orig licet minùs voluntariũ eſt tamen maius peccatũ quã veniale.

17 Fatemur tamen illud peccatum in paruulo eſſe minus quocunque alio peccato, quod à Deo omninò auertit, aut ab eius vita alienat, & minori pœnâ dignum, quod ſolum illa ratio probare videtur; non autem eſſe minus veniali, minorique pœnâ dignum, & ideò æterna damnatione ratione ſui indignum. Satis enim, vt arbitramur, quàm hoc abſurdum ſit, iam ſuperioribus impugnationibus oſtendimus.

Eſt tamen originale minimũ omniũ mortaliũ peccatorum.

18 Ex quibus illud de memoria non excidere oportet; Deum videlicet ab iniquitate vendicari non poſſe condemnando paruulos ſine liberatione gratiæ decedentes, ſi illa

damna-

damnatio eis non debetur ratione peccati originalis. Hinc enim Auguſtin. ſæpè ſe demonſtrare putat peccatum originale paruulorum ſuppoſitis Scripturis, quæ damnationem aut infantium Hebræorum, qui non circumcidebantur, aut omnium non credentium prædicant. Vndè ſunt illa eius verba lib. 16. ciuit. cap 27. *Verùm ſic quoque animaduertendum eſt nullâ in ſe negligentiâ ſuâ, iniuſtè interire incircumciſi animam paruuli, niſi originalis obligatione peccati.* Et libr. 3. de peccat. merit. ca. 2. de paruulis tractans; *Iam nunc videant iſti, qua iuſtitiâ tentent vel conentur aſſerere, non ad vitam æternam, ſed ad iram Dei pertinere, & diuinitùs vindicari atque damnari homines, qui ſine peccato ſunt, ſi quemadmodùm propriũ, ita nullum etiam in eis eſt originale peccatum.* Grauitas ergò peccati originalis eiuſque pœnarum, non in ſolius rationis Philoſophicæ, quæ veriſimilitudine fallere facilè poteſt, ſed in Scripturæ & Patrum ſtaterâ penſanda eſt. An igitur exactiori diſcuſſioni ſubijciēdæ ſint ſupràdictæ locutionis formulæ de peccato illo antiquiſſi- Auguſt.

Digitized by Google

mo & obſcuriſſimo, quanquàm ex Scripturis notiſſimo, deque eius multùm controuerſis pœnis, quia vt præclarè Auguſt. lib. 10. ciuit. ca. 23. *liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his ſignificantur, &c.* Non ergo ſatis penetro, quomodo qui tantùm extenuant rationem peccati in originali propter carentiam proprij voluntarij; eiuſque poſt mortem pœnas ſolùm exilium iucundiſsimum ab omni moleſtia liberum, eſſe contendunt, diſcernere rectè poſſent, quid faciat Deus in paruulis beneficio, quid iudicio? ſi enim quidquid eos in illis pro infirmitate humanæ mortalitatis offenderit, omnino à iudicio Dei alienare voluerint, quomodo miſericordiam & iudicium Domino Deo, ſicut oportet, cantabunt? Egregia ſane commendatio iudiciorum Dei ſi pro minimo peccato; etiam veniali peccato intenſiuè minore, creaturam rationalem, imaginem ſuam, à

regno

regno ſuo ſempiternè exulare faciat, totque miſerijs, quas videmus, hic puniat? An tanto fortè encomio miſericordia eius extollitur, ſi imaginem ipſius illo minimo peccato obnoxiam, cui nulla moleſtia debetur, à perenni fœlicitate terreſtris cuiuſdam paradiſi, quo peruentura prædicatur etiamſi non baptizaretur, ad aliam transferat, quanto extolleretur ſi non à fœlicitate, ſed à miſeria ſempiterna animæ & corporis in fœlicitatem ipſe eam transferre diceretur? Non ſic Sanctiſſimus Magiſter didicit miſericordiam & iudicium Domino cantare. Non ſic ſuos diſcipulos docuit Dauidicum illum cantum intonare; ſed magnam Dei miſericordiam laudare in paruulo, per baptiſmum à magna protoplaſti culpa & ſempiterno igne, antequam expiret liberato; & eiuſdem Dei iudicium non culpare in alio paris meriti paruulo à communi maſſa non ſegregato, ſed damnatione æterni ignis punito, vt iſta in paruulis conſiderantes facilius diſponi poſſent ad humiliter cum

 Scri-

Scripturis ſanctis credendum in maiores bonitatem & ſeueritatem Dei ; ſed bonitatem in filios promiſſionis, quos ante conſtitutionem mundi immobiliter ſaluare decreuit, non ex aliqua ſuorum bonorum operum præuiſione aut abſolutâ aut conditionatâ, ſeu mediâ (quam nupera eruditio vt omninò neceſſariam ad conciliandam cum volũtate gratiam ſe nouiſſimè peperiſſe, partamq; ſic baptizaſſe, ac dictæ reconciliationi primitùs accommodaſſe, plurimùm gloriatur) ne eos ille veraciſſimus veritatis præco Apoſtolus Paulus vaſa miſericordiæ appellando, manifeſtæ fortè falſitatis conuincatur : ſeueritatem autem in filios perditionis, quæ non iniquitati Dei, qui incommutabiliter iuſtus eſt, ſed iudicio deputanda eſt : cum peccato illo magno primi hominis, quo natura humana in deterius mutata eſt, in condemnationem vniuerſa defluxerit humani generis maſſa, cuius præuiſio quodammodo anteceſſit in Deo (vt ex Paulo & coapoſtolo eius Ioanne Auguſtinus colligit) æternum Dei decretum de reprobandis & ſaluandis hominibus,

Digitized by Google

bus, quos aut miſericordiſſimè ex eadē maſſa ab æterno eligendo voluit liberare, aut iuſtiſſimè in ea relinquendo ſecundùm propoſitum non vocare. Quis enim illud decretum iniquum aut crudele eſſe ſuſpicaretur, etiamſi propriæ hominum reijciendorū iniquitatis præuiſionem in Deo præuēire diceretur, quando æternum cōtuitum alienæ iniquitatis quam reijciendi, peccando in alio in quo omnes peccauerunt, contracturi in vita propria erant, non anteuertere, ſed potiùs modo quodam ſubſequi affirmaretur? de quo, Domino ſuggerēte, aliàs latiùs. Veriſſimè ergò dictum eſt, *Iudicia tua abyſſus multa*, cuius profunditatis impenetrabilem altitudinem Apoſtolus admiratus exclamat, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, &c.* Nullus igitur obſecro ex noſtri ſæculi Theologis pugil, ingenij quantumuis acerrimi, in iſtis profundiſſimis & obſcuriſſimis fidei myſteriis intelligēdis ac declarandis Beatiſſimum Auguſtinū à tot eruditiſſimis temporibus tam longâ ſœculorum ſerie fortiſsimū

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ athletam, ſapientiſſimumque Magiſtrum celebratum, non imitari, ſed cum eo iam luctari deſideret, ne ſi ad certamen veniatur, prudens paleſtræ ſpectator pygmæum ad luctam gigantem laceſſentem, cum aſtantium riſu exibilet.

Redarguuntur quidam alij qui ad Scripturam Sacram parùm fortè conformiter loqui videntur, quique ſententiæ B. Auguſtini eius fundamenta nequaquam penetrantes, ante victoriam inſultant.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Reprobatur quorūdam Auguſtinū in hac quæſtione deſerentium iniuſta cēſura.

1 EX ſupradictis diligenter ponderatis clarè deprehendi poteſt quorumdam modernorum ſtupenda animoſitas, qui excellentiſſimum Eccleſiarum Dei Magiſtrum (à cuius principijs penetrandis remotiſſimi ſunt) in cauſa iſtorum paruulorum, tam vehementer, tamque frequenter inter ipſum & Pelagianos ventilata, non ſolùm deſerunt, ſed & grauiter reprehendunt; aſſerentes ipſum in hac contra Pelagianos diſpu-

Digitized by Google

diſputatione aliquid humani paſſum fuiſſe; & meritò à Scholaſticis in hoc reiectum eſſe, eumque qui ſentit illos paruulos in ſtagnum ignis mitti & demergi cum damnatis in infernũ, vt ibi igne puniantur, id opinari cõtra omnem rationem & pietatem. Ergò ſecundùm iſtos ſententia Auguſt. de his paruulis eſt prorſus impia & irrationabilis.

Excellentia doctrinæ S. Auguſt.ni.

2 Stupenda ſanè nimis eſſet, iſtorum temporũ cõditio, ſi iſtis modernis liceret hãc beati Aug. doctrinam tam horrendè taxare, nobiſque liberum nõ fuiſſet eam ab iſta iniuria vindicare. Verè qui eam ſic labefactare conãtur, parũ Scripturas Pauli, Mathæi, & Ioannis ac Aug. principia penetrare vidẽtur; & Eccleſiam Romanã nõ leui fortè iniuriâ afficiunt quæ nõ ſolùm doctrinã Aug. ſicut quorũdam aliorum Doctorum generaliter laudauit; ſed eam ex magna parte ſuam fecit, & ex Pontificum Romanorũ ſtatutis ſeruat & ſequitur, teſte Ioanne Pontifice. Vnde credibile eſt, ſi abſurda, ad quæ, principia horũ modernorũ cõpellere videntur, penetrata ab initio ab eis fuiſſent, quod à ſuis cenſuris in B. Auguſtin.

Digitized by Google

ſe abſtinuiſſent, eique tam manifeſtè ſua ex Scripturis ſtabilienti ſe conformaſſent; nec affirmare inſuper auſi fuiſſent, contra manifeſtam Scripturam, illos paruulos poſt iudicium minimè futuros ſub poteſtate diaboli; *eſſeque concluſionem Catholiciſſimam, nullum in futuro Chriſti iudicio eſſe damnandum propter ſolum Adæ peccatum, ſed vnumquemque onus ſuum portaturum, ſiue bonum, ſiue malum*, vt quidam modernus fidenter affirmat in ſua ſumma doctrinæ de præd. ca. cuius illa notabilis inſcriptio eſt. *Quod clementiſſimus pater Deus prædeſtinatione ſuorum neminem reliquit in maſſa perditionis*; & Chriſtum Dominum, vt alius docet, fore cauſam exemplarem reſurrectionis eorum, ac datorem omnium beneficiorum naturalium, imò & donorum quæ naturæ omninò debita non ſunt, quæ tunc habituri ſunt; eoſque ipſum tamquam Dominum & principem, ac benefactorem ſuum veneraturos, vſuroſque ſe & omnibus ſuis donis in laudem & honorem ipſius.

3 Quia licet iſta conſequenter fortè: ad illa

Digitized by Google

illa ſua principia affirment, quibus paruulis promittunt quietem, omni moleſtia carentem, imò & naturalem beatitudinem in paradiſo aliquo terreſtri, à ſtagno ignis (in quo Diabolus ſecundùm Scripturas detinebitur) remoto; cauendum fortè tamen eſt ne non conſequenter dicantur, ad illa Pauli & Auguſtini principia. *Cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum, in lumine; qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Super quæ verba Auguſtinus tract. 115. in Ioan. *Regno ſuo quippe dicit, De mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo; erant ergo de mundo, quando regnum eius non erant, ſed ad mundi principem pertinebant. De mundo eſt ergò quicquid hominum à verò quidem Deo creatum, ſed ex Adam vitiata ac damnata ſtirpe generatum eſt: factum eſt autem Regnum, non iam de mũdo quicquid indè in Christo regeneratum eſt. Sic enim nos Deus eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij caritatis ſuæ; de quo regno dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Coloſſ. 1.

4 Quiſquis igitur iſtis principijs cedere voluerit, admittat neceſſe eſt paruulum non erui à poteſtate tenebrarum, nec tranſferri à mundo, & conſequenter nec à principe huius mundi ad principem Chriſtum mediatorem Dei ac hominum, niſi per eius gratiam & regenerationem; vndè incipit ex regno mundi, & principis huius mundi, fieri regnum Chriſti, & ad ipſum tamquàm ad principem ac benefactorem pertinere. Nam vt ſuprà Auguſtinus, *Erant ergo de mundo, quando regnum eius non erant, ſed ad mundi principem pertinebant. De mundo eſt ergò quicquid hominum à vero quidem Deo creatum, ſed ex Adam vitiatâ ac damnatâ ſtirpe generatum eſt. Factum eſt autem regnum non iam de mundo, quicquid inde in Chriſto regeneratum eſt. Sic enim nos Deus eruit de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ.*

5 Non ergo principatus & regna principis huius mundi & Chriſti Saluatoris confundenda ſunt; ne ſi paruulos non bapti-

zatos

zatos Chriſtum hominem principem poſt iudicium habere dicamus; eos à principe mundi huius liberos & conſequenter à peccato immunes prædicare conuincamur; quia, vt benè Auguſt. vbi ſuprà, quod toties repetere non piget, *Erant ergo de mundo, quando regnum eius non erant, ſed ad mundi principem pertinebãt.* Nõ tamẽ propterea negamus eos ſub regno Chriſti Dei futuros; quia, vt notauit idem Auguſt. libr. 83. quæſtionum q. 69. *aliter dicitur regnum Chriſti ſecundùm poteſtatem Diuinitatis, ſecundùm quod ei cũcta creatura ſubiecta eſt: & aliter regnum eius dicitur Eccleſia ſecundùm proprietatem fidei; quæ in illo eſt, ſecundùm quod orat, qui dicit, poßide nos.* Nec eoſdem paruulos poſt iudicium à poteſtate diaboli liberos dicamus; ne apertam hæreſim dicere conuincamur. Paulus enim in teſtimonio nuper citato, nos monet agere gratias ei, *qui nos eripuit de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem & remißionem peccatorum.*

6 Si igitur paruuli non baptizati non Coloſſ. 1. 12.

 ſunt

Si paruuli non regenerati non fuerint poſt iudicium ſub diaboli poteſtate, neceſſe eſt vt ſint tranſlati in regnum Chriſti.

ſunt futuri poſt iudicium ſub diaboli poteſtate; futuri ſunt neceſſe eſt tranſlati in regnũ Chriſti, in quo tranſlati omnes habebunt redemptionem & remiſſionem peccatorum, ergò ſi ſic ſine peccato erunt, quia redemptionem & remiſſionem peccati, tranſlati omnes à poteſtate Diaboli habebunt, in cœlum admittentur ſine baptiſmo; quod Pelagiani non fuerunt auſi eis promittere contra manifeſtum Chriſti teſtimonium; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Prætereà, ſi paruuli illi non ſunt futuri ſub poteſtate diaboli; ergò non ſunt futuri ſub eius captiuitate & ſeruitute; ergò falſa erunt non ſolùm Concilia Arauſ. can. 1. & Trident. ſeſſ. 5. can. 1. ſed & Scripturæ, vndè Concilia hanc captiuitatem & ſeruitutem omnium qui liberati per gratiam non fuerint, apertè colligunt.

Non eſt catholicum affirmare nullum in futuro Chriſti iudicio propter ſolum

7 Nec dicamus concluſionem eſſe catholiciſſimam, *nullum in futuro Chriſti iudicio propter ſolum Ada peccatum damnandum fore*; ne aliàs, peccatum originale in poſteris Adæ

Adæ manifeſtiſſimè euacuemus, (vt ſæpè in ſuperioribus probauimus) & nullum paruulum ex eis, qui ſine baptiſmo aut gratiæ liberatione moriuntur, in futuro Chriſti iudicio damnari, dicere conuicamur (quia nullus ex eis habet aliquid vel fecit, vndè iuſtè damnari poſſet ſi propter ſolum Adæ peccatum, nullus poſterorum eius damnabitur; vt rectè infert Auguſt. cõtra Pelagium lib. 3. de peccat. merit. cap. 2.) Quod fuiſſe manifeſtam Pelagij ac Pelagianorum hæreſim; & contrarium eius eſſe certiſſimam Eccleſiæ catholicæ fidem, patet ex epiſt. Hilarij ad Auguſt. quæ eſt 88. & colligitur ex eodem Auguſt. varijs in locis; primo epiſtola 89. ad q. 3. *Quod autem* (inquit) *dicunt infantem morte præuentum non baptizatum, perire non poſſe, quoniam ſine peccato naſcitur: non hoc dixit Apoſtol. & arbitror eſſe melius, vt Apoſtolo potiùs quàm iſtis credamus, dicit enim ille Doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertraſiit, in quo omnes peccauerunt*. & paulò pòſt dicit,

Adæ peccatum fore damnandum.

Nam

Nam iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem: proindè iſti, quem fortè inuenerint infantem non ex illius vnius hominis concupiſcentia procreatum, ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium, nec per Chriſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum. Quid eſt enim, Ex vno delicto in condemnationem; niſi illo delicto, quo deliquit Adam? & Quid eſt, Ex multis delictis in iuſtificationem, niſi quia Chriſti gratia non ſolùm illud delictum ſoluit, quo obſtringuntur infantes, ex illo vno homine procreati; ſed etiam multa delicta, quæ cum creuerint homines addunt malis moribus ſuis? Tamen & illud vnum quo eſt obligata propago carnalis, quæ ab illo primo homine originem ducit; ſufficere dicit ad condemnationem. Ideò non ſuperfluus eſt baptiſmus paruulorum, vt qui per generationem illi condemnationi obligati ſunt, per regenerationem liberentur. Et Epiſtol. 28. inter ea quæ fide firmiſſimâ de anima ſe tenere dicit, ſequentia verba ſcribit; *Quæcumque autem ſine gratia mediatoris & Sacramento eius, in qualibet corporis ætate, de cor-*

de corpore exierit, & in pœnam futuram, & in vltimo iudicio recepturam corpus ad pœnam, & in fine eiuſdem Epiſtolæ. *Sed antequam ſciam quænam earum potiùs eligenda ſit, hoc me non temerè ſentire profiteor, eam quæ vera eſt, non aduerſari robuſtiſſimæ ac fundatiſſimæ fidei, qua Chriſti Eccleſia nec paruulos homines recentiſſimè natos à damnatione credit, niſi per gratiam nominis Chriſti, quam in ſuis ſacramentis commendauit, poſſe liberari.* Et Epiſtol. 157. *Illud enim vbi vel maximè fides Chriſtiana conſiſtit, quod per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur;* 1. Cor. 15. & *quod per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccauerunt;* Rom. 5. *& quod iudicium quidem ex vno in condemnationem;* Ibid. *& quod per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem,* Ibid. *& per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ; & ſi qua alia teſtimonia declarant neminem naſci ex Adam niſi vinculo delicti, & damnationis*

Digitized by Google

obſtrictum; neminemque indè liberari niſi renaſcendo per Chriſtum: tam inconcuſsè tenere debemus, vt ſciamus eum, qui hoc negauerit nullo modo ad Chriſti fidem, & ad eam quæ per Chriſtum datur puſillis & magnis Dei gratiam, pertinere.

8 An non ergo ex his apertè ſequi videtur eum, qui affirmat eſſe *concluſionem catholiciſſimam, nullum in futuro Chriſti iudicio eſſe damnandum propter ſolum Adæ peccatum,* aduerſari (vt Auguſtinus vbi ſupra loquitur) robuſtiſſimæ ac fundatiſſimæ fidei, qua Chriſti Eccleſia nec paruulos homines recentiſſimè natos à damnatione credit, niſi per gratiam nominis Chriſti, quam in ſuis Sacramentis commendauit, poſſe liberari? An fortè aſſertor ſupràdictæ concluſionis, quam ipſe catholiciſſimam arbitratur, iudicaretur à beatiſſimo Auguſtino ad fidem Chriſtianam pertinere, qui Epiſtola illa 157. definit nos tam inconcuſſè debere tenere neminem naſci ex Adam niſi vinculo delicti & damnationis obſtrictum, vt ſciamus eum qui hoc negauerit nullo modo ad Chriſti fidē perti-

pertinere. Fides enim Chriſti nos docet in Scriptura Euangelica, quæ fallere non poteſt, eum qui non crediderit, condemnari. Marci 16.
Quomodo igitur ille qui huic Chriſti Euangelio aduerſatur, dicendo paruulos ſine baptiſmo morientes, qui nullo modo credunt, non damnandos fore) ad fidem Chriſti pertinebit? aut quomodo ad eam fidem pertinebit, ille qui dicit nullum propter ſolum Adæ peccatum eſſe damnandum, contra apertas voces illius in quo Chriſtus loquebatur? *Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem: & iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem.* Rom. 5.
Quid eſt (inquit Auguſtinus loco ſuprà citato) *ex vno delicto in condemnationẽ, niſi illo delicto, quo deliquit Adam? quod ſufficere dicit ad condemnationem?* Quid igitur reſtat niſi vt cõcluſionem, ſuprà relatam, quã author ille catholiciſſimã putauit, tamquam pernicioſiſſimam, & fidei Chriſti aduerſiſſimam reſpuamus? Si cui autem noſtra cenſura in hunc autorem rigida forſan videbitur eius lenienda erit commotio illis Beatiſſimi Magiſtri verbis ſermone 14. de

verbis Apoſtoli *Detrahunt nobis , ferimus, canoni detrahunt, veritati non detrahant, Eccleſiæ ſanctæ pro remiſsione peccati originalis paruulorum quotidiè laboranti non contradicant. Fundata iſta res eſt, ferendus eſt diſputator errans in alijs quæſtionibus non diligenter digeſtis, nondum plena Eccleſiæ autoritate firmatis: ibi ferendus eſt error, non tantum progredi debet, vt etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur. non expedit, adhùc fortè noſtra non eſt reprehendenda patientia, ſed debemus timere, ne culpetur etiam negligentia.*

Sup. 197. lin. 5. *Chriſtus nõ eſt cauſa exẽplaris reſurrectionis paruulorum non rebaptizatorum.*

9 Tandem , qui affirmat Chriſtum hominem futurum cauſam exemplarem reſurrectionis paruulorum non baptizatorum, quomodo non affirmabit ipſos in Chriſto reſurgere? Quod ſi hoc cõceſſerit, cur non & ipſos viuificari in Chriſto? Quod ſi totũ admiſerit atque approbauerit: an nõ B. Auguſt. potiùs quàm ei credendum erit? Qui Epiſtola 28. ſcribit, *Quiſquis dixerit quod in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli , qui ſine ſacramenti eius participatione de vita exeunt : hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit,*

Digitized by Google

venit, & totam condemnat Eccleſiam; vbi propterea cum baptizandis paruulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto viuificari omninò non poſſe. Vndè mirum videtur illum alium Theologum, cuius ſenſum hic impugnamus, tã intrepidè ex illo Apoſtolico loco (*In Chriſto omnes viuificabũtur*) velle probare Chriſtum Dominũ futurũ cauſam exemplarem reſurrectionis illorum paruulorum, atq; adeò eos in Chriſto viuificari, cũ aduertere potiùs debuiſſet, extẽdendo eum locum ad prædictorũ paruulorum in Chriſto viuificationẽ, ſe Apoſtolicæ prædicationi (ſi Aug. vbi ſuprà credatur) contrauenire, & totam Eccleſiã condemnare. Accedit ad hoc, quod ſi propter illud ſignũ vniuerſale vellet eum locum ad paruulos dãnatos extẽdere; eadem ratione extendi debere, aut poſſe ad dãnatos adultos, atq; adeò Chriſtum fore cauſã exemplarẽ reſurrectionis eorum, quod ipſe admittere minimè audet. Apoſtolus ergò in c. 15. 1. ad Corint. per totum, vſque ad illud quod parùm ante finẽ habetur (*Ecce myſteriũ vobis dico,*) tractat de reſurrectione Chriſti

 & iu-

& iuſtorum eius, vt manifeſte colligi poteſt ex illo Apoſtolico contextu.

10 Proindè loca illa, *Per hominem reſurrectio mortuorum*: &, *In Chriſto omnes viuificabuntur*, quæ in illo capite paulò poſt initium reperiuntur, ad ſuſcitationem & viuificationem eorum, qui procedẽt in reſurrectionem vitæ, non ad eos qui procedent in reſurrectione iudicij, referenda ſunt: quod ille alter poſt Apoſtolum Paulum Paulus, magni gentium magiſtri magnus ac mirabilis diſcipulus vigilantiſſimè, vidit, vt claret in verbis à nobis ſuprà iam citatis ex Epiſtola 28. & in alijs verbis mox ibidem ſubſequentibus, & in eis etiam quæ in fine eiuſdẽ Epiſtolæ ſubijciuntur. *Planè* (inquit) *audiui & credidi, propter quod & locutus ſum; quia veniet hora quãdo omnes qui in monumẽtis ſunt, audiẽt vocem eius, & procedent qui benefecerunt in reſurrectionem vitæ, Ipſa eſt de qua dicitur, Et per vnum hominem reſurrectio mortuorum. Ipſa eſt, qua in Chriſto omnes viuificabuntur.* Quid clarius? Nullum igitur in Scripturis Sanctis aut Patribus fundamentum habere videtur homi-

Ioan. 5.

1. Corin. 15.

homilia illa panegyrica de reſurrectione infantium non baptizatorum, per Chriſtum hominem, cum magna perfectione beneficiorum naturæ, ac aliorum donorum quæ naturæ non debentur; quibus vſuri ſunt ad laudem & honorē Chriſti mediatoris, benefactoris, ac principis ſui. Scripturæ enim iſtā corporis inſignem perfectionem, & ad corpus Chriſti Domnini, tanquam ad exemplar conformitatem, ſolummodo prædeſtinatis & Chriſti membris promittunt, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filÿ, Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Ephef. 4. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Philip. 3. *Prædeſtinauit nos conformes fieri imaginis filÿ ſui.* Rom. 8.

11 Quis igitur Theologum non admiretur, qui ſine graui documento aſſerit Deum, propter merita Chriſti Domini, iſtos paruulos, iræ filios, ac diaboli ſeruos, ſuſcitaturum cum talibus perfectionibus corporalibus naturæ debitis, & aliis eidem naturæ non debitis, vt eundem Dominum noſtrum ſua re-

ſurre-

ſurrectione repreſentent, eique ſe ſubijciant tanquam Domino, principi, ac benefactori ſuo: aut Chriſtum Dominum noſtrum per ſuos labores hoc paruulis illis, qui nunquam de eius Eccleſia erant, à Deo Patre petijſſe, aut Deum nulla conſideratione meritorum Chriſti id ex ſeipſo eſſe facturum ad Chriſti Domini gloriã? quia ſi hoc nõ in fictã, ſed in veram gloriam Chriſto cedere æſtimant, cur ad eius etiam maiorem gloriam non vlteriùs cauſalitatẽ exemplarẽ ac principatũ eius, ad reſurrectionẽ adultorũ damnatorum, porrigunt? Sed non audent. Verùm ſi aliquis auderet, iſtos gloriam Chriſto Domino dando, ſuperaret; & tanto ſic inueniretur fingere deformiùs, & contra Scripturas, ac communem patrum ſenſum inſolentiùs, & impudentius, quãto ſibi videretur de gloria Chriſti cæteris ſentire magnificentiùs. Quidquid ergo paruuli non baptizati perfectionis in futura vita habituri ſunt, hoc idem habuiſſent, ſi filius Dei nunquam formam ſerui accepiſſet: qui in forma ſerui, ſicut non ideò mortuus fuit vt homines conderentur, teſte

Auguſt.

Digitized by Google

Auguſt. Epiſtola 105. ita non ideò mortuus fuit vt homines impij, filij Diaboli, qui in ſua impietate moriuntur, cum naturalibus aut corporalibus donis, perfectè reſurgerent; ſed pro impijs mortuus eſt, & reſurrexit, vt iuſtificarentur. Ridenda eſt ergò eorum cenſura, qui ſine probatione animosè affirmant, hanc Auguſtini de paruulis ſententiam eſſe contra omnem rationem, & pietatem; cum ex ſuperioribus iam ſatis fortè conſtet, eam eſſe in Scripturis diuinis ſolidiſſimè fundatam, & rationibus inuictiſſimis munitam; quæ, ſuppoſitis fidei principiis de peccato originali & morte ſecundâ ei debitâ, atque de excluſione illorum paruulorum à regno, & de vniuerſalitate extremi Iudicij, & de partitione omnium bonorum & malorum in duas claſſes, dextræ & ſiniſtræ, & de infallibili veritate ſententiæ Iudicis; ſatis euidenter probare videntur illos paruulos habituros ſempiternam triſtitiam; & puniendos fore pœnâ ignis æterni. Quæ qui negat; etiam atque etiam diligenter caueat, ne fortaſſe in eis peccatum originale inaniat, & locum eis

Oo foeli-

Digitized by Google

fœlicitatis, ſeu quietis alicuius inter regnum Cœlorum & æternam damnationem ab Eccleſia, Conciliis, & Patribus: imò etiam à Paulo, Ioanne & ab Euangelio prædicatam, promittat.

Tutiſsimũ eſſe ſtudioſo veritatis ad Scripturas diuinas ac myſteria fidei noſtræ rectè intelligenda, (ſi liberalibus diſciplinis vſui veritatis aptioribus inſtructus fuerit) doctrinæ B. Auguſt. diligẽtem operam nauare, eique fortiter adhærere, eiuſque regulas ad indagandam, & eruendam veritatem vigilanter obſeruare.

OPERIS CONCLVSIO.

1 IN controuerſia igitur tam graui atque intricata vbi incautè aſſerens, de euacuatione peccati originalis, aut de alio Pelagianiſmo periclitari facile poſſet, Auguſtinum ſublimiſſimum orbis magiſtrum, atque Eccleſiæ ſanctæ in doctrina de peccato originali, deque eius pœnis, & infirmitate ex ex eo contracta, & de ipſius medicina ſeu remedio,

Veritatis ſtudioſo tutiſſimũ eſt inhærere doctrinæ S. Auguſtini.

medio inuictiſſimum Anteſignanum, tanquam ducem firmiter teneamus, nec relicto diuinorum eloquiorum, ac Auguſtinianæ doctrinæ ſolidamento, per ſuſpicionum noſtrarum abrupta præcipitemur. Quid enim periculoſius, quam velle veritatis Scripturarum penetralia ratione exactè metiri? Cum in eis (vt rectè Auguſtinus ad Volus) *Tam* Epiſt. 3.
multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda, proficientibus reſtent; tantaq́; non ſolum in verbis quibus iſta dicta ſunt, verùmetiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, lateat altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, accutiſsimis, flagrantiſsimiſque cupiditate diſcendi, hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet; Cum conſumauerit homo Eccleſ. 18. 6.
tunc incipiet. Recordari igitur nobis expedit (ne ſpinoſiſſima quæque, ſecundùm coniecturas noſtri cordis, forma etiam ſyllogiſtica artificioſè veſtitas, neglecta Scripturarum ac Patrum diligenti lectione & collatione, diſcutere & terminare amemus) *ei, qui ſibi perſuaſit ratione peruenire ad veritatem, multos & longos circuitus,* Beatiſſimo Auguſtino te- De quāt. animæ cap. 7.

 ſte,

ſte, *tolerandos eſſe, vt nullæ diſputationes falſæ, aut veriſimiles, ab ea ipſum traducere poſsint; ſi vult vt ratio eum non adducat, niſi ea quæ ſola ratio dicenda eſt, id eſt, vera.* Animis enim tardioribus & implicatioribus, imò etiam, & ipſis ingenioſis minùs diligenter attentis contingere ſolet, vt ſi ratione verum velint comprehendere, ſimilitudinibus rationum facillimè decipiantur: vt colligitur ex magno illo doctore.

lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 31. & loco citato de quant. animæ.

2 Non tamen hinc inferatur, nos artem Philoſophicam, aut eos qui ſecundùm eam, aut ſecundùm rationes naturales, dogmata Eccleſiaſtica confirmant, velle hîc ex ſenſu Beatiſſimi Auguſtini aut noſtro carpere. Minimè quidem. Quis enim noſtrum neſcit ab eodem B. Auguſtino ſcriptum eſſe, *Diſputationis diſciplinam ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis Sanctis ſunt penetranda & diſſoluenda plurimùm valere; tantùm ibi cauendam eſſe libidinem rixandi, & puerilem quandam oſtentationem decipiendi aduerſariũ?* Aut quis illo ſapientiſſimo magiſtro (cuius veſtigijs omnes Theologos inhærere optaremus)

De doctrina Chriſtiana loco citato.

Non eſt inconueniens rationibus Philoſophicis ſacram doctrinam confirmare.

mus) in præfato genere inueſtigandæ & aſtruendæ veritatis copioſior, ſolertior, cautior, ac ſolidior? Imo quis vnquam Neotericorum, vel Antiquorum tractatorum ipſum in hoc omni ex parte ſecutus eſt? Aut quis aduertere ſi vult non poteſt, ab eodem præclariſſime dictum eſſe, *ea quæ vera & fidei noſtræ accommoda Philoſophi dixerunt, tanquam aurum & argentum quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt; nos (inſtar Iſraëlitarum clanculò ſibi vindicantium vaſa & ornamenta aurea ac argentea, quibus Aegyptij peruersè vtebantur) ab eis tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus auferre poſſe*; non tamen ea nimis diligendo, aut eis propter Philoſophorum authoritatem fidendo, aut nos ex eis in præcipitem ac periculoſam incertorum affirmationem proijciendo; ne vltra quàm tutum eſt humana progrediatur infirmitas, vt tam certi hinc loquamur ad ea quæ requiri de iſtis incertis poſſunt, quam ſi eſſemus Angeli aut Prophetæ, aut Apoſtoli: nec eadem etiam vera

lib. 2. de doctrina Christiana c. 40.

Loco ſupra citato c. 39.

Super Pſalm. 103. concion. 3 & in expoſitione Pſal. 140. li. 3. Trinit. c. 10.

Digitized by Google

prolixè & loquaciter verſemus ad Philoſophos extollendos, tãquam magnos, *quorum contra errores magnos* (vt ſuos libros recenſendo admonuit Auguſtinus) *defendenda eſt Chriſtiana doctrina:* nec eiſdem veris vtamur intentione vana excellendi inter homines, ſeu indè nos præferendi bonis, aut iactandi nos apud imperitos, aut vt ſapientes eſſe videamur: ſed potiùs ad meliorem vſum ea cõuertamus, ad Chriſti Domini, ſcilicet, verum obſequium, à quo illa vera eſſe, cognoſcimus: non ab Ariſtotele, Pythagora, vel Platone; quorũ ſi aliquis (vt benè Auguſtinus ſuper Pſalmum ſuprà citatum) *Inuentus fuerit hoc dixiſſe quod dixit & Chriſtus, gratulamur illi, non ſequimur illum.*

lib. 1. retract. c. 1.

Colligitur ex lib. 2. de doctrina Christiana c. 73. 38. & 39.

Pſal. 140.

3 Non igitur dubitamus artem philoſophicam ſi ſobrè tractetur (vt à pleriſque qui non altè, ſed ad temperantiam ſapere voluerunt, tractari nouimus) vtilem eſſe ad reddẽda ingenia exercitatiora, inſigniterque iuuare humiles corde ad ſcopuloſiſſimos Scripturarum, imò & ipſorum B. Auguſtini operum, receſſus (ſine periculo ſæpe in ſcopulos impingen-

Digitized by Google

pingendi) ſcrutandos & aperiendos; eiuſque culpam non eſſe ſi qui ſunt, qui ea abutuntur in ſuis diſputationibus, propatula & famigerula certamina amantes; aut in ipſa ſemper luxurioſè hærentes, neq; ad id propter quod aſſequendum diſcitur, tranſeuntes; aut ſecundùm eius formam multa, plus acutula & laborioſa, vndè ingenia inflantur, quàm ſolida & vtilia, vndè ad pietatem ac humilitatē erudiuntur & ædificantur, cōtentioſè diſceptantes. Ex quo, euenire neceſſe eſt iſtis ſubtilitatibus ſic ſummopere deditos, doctrinā Auguſtini & aliorum Patrum, præcipueque Auguſtini quam dulciter haurire deberent, attentè legere nunquam poſſe, qui forſan ſtudiis grauioribus ſeſe applicuiſſent ſi Beatiſſimum illum magiſtrum, tubam auream Eccleſiæ audiuiſſent. *Multi enim* (inquit) *multum diſputant de ijs rebus, quas maiore prudentia noſtri authores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus; & occupantes, quod peius eſt, multum precioſa & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia, quibus ineundis atque tractandus* (vt idem magiſter

lib. 2. de Genes ad literam c. 9.

Eodem lib. c. 10.

rectè

rectè de ſimilibus quæſtionibus affirmat) *illis tempus eſſe non debet*, quos ad ſalutem ſuam & Sanctæ Eccleſiæ neceſſariam vtilitatem cupimus informari..

4 Hæc de iſtorum paruulorum ſtatu, ex Scripturis & Auguſtino quantum Dominus donauit, breuiter contexuimus, pollicentes nos margaritas profundiſſimæ ex eiſdem fontibus doctrinæ, eâ quam hic ſcripſimus ad alta myſteria intelligenda longè oportunioris, hauſturos & oſtenſuros, ſi viderimus hoc exiguum opuſculum ſuos patronos reperturum. Non enim nos fugit, ipſum multos fortè inuenturum reprehenſores, qui ſtudia partium ſectantur, quique propterea plùs de victoriarum in ſuis diſputationibus gloria comparanda, quàm de veritate ſinceriter inueſtiganda ſoliciti, glorioſiſſimum putabunt nullis cedere viribus veritatis. Sed magis optaremus, ſi Spiritum Sanctiſſimi noſtri magiſtri aſſecuti eſſemus, à quolibet reprehendi, quàm ſiue ab errante, ſiue ab adulante, laudari. *Nullus enim* (inquit ipſe, in libris de Tinit.) *reprehenſo*

In proœmio lib. 2

henſor formidandus eſt amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus: Si ergo inimicus inſultat; ferendus eſt: amicus autem ſi errat, docendus; ſi docet, audiendus. Laudator verò & errans confirmat errorem; & adulans illicit in errorem. Emendabit ergò me iuſtus in miſericordia, & arguet me; oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. Omnia iudicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ libenter ſubmittimus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX CAPITVLORVM

Capvt Primvm.

REfertur quid Pelagiani ſenſerint de iiſdem paruulis: proponiturque quorundam Theologorum de eis ſententia cum ſuis fundamentis. pag. 1.

Cap. II. Refellitur communis quædam Reſponſio iſto rum Theologorum. 12.

Cap. III. Indagatur ex quibus Scripturis Auguſtinus colligat æternam damnationem illorum paruulorum; concluditurque ex Scripturis illos in ignem æternum ituros. 33.

Cap. IV. Oſtenditur non ſolùm formã ſpecialem Chriſtianorum iudicandorum, ſed & formam vniuerſalem, qua omnes in vniuerſum iudicabuntur in illo Mathæi loco deſcribi. 43.

Cap. V. Refellitur quædam eluſio qua prædictæ Scripturæ & aliȩ etiam, pœnam ignis omnibus damnatis promittentes, eneruantur. 51.

Cap. VI. Aliis modis contenditur prædictos paruulos puniri, aliis pœnis præter pœnam excluſionis à regno cœlorum, examinaturq; an qui hoc negant, tollere videantur originale? 58.

Cap. VII. Diluuntur aliqua motiua aduerſæ partis; oſtẽditurq; ex pœnis ſenſibilibus peccati originalis in hac vita, credibile reddi, illud pœnâ ſenſibili in alia vita puniri. 68.

Cap. VIII. Oſtenditur manifeſtè Commentarium in Epiſtolam ad Romanos, qui B. Ambroſio tribuitur, non eſſe ipſius, ſed alicuius Pelagiani: erroreſq; illius Commentarij de poſſibilitate naturæ, & de gratia Chriſti, notantur. 79.

Cap. IX. Declaratur quomodo prædictus Commẽtarius prædeſtinationem diuinam deſtruat, eam ad ſolam præſcientiam reducendo; atque adeò ſcandalum crucis euacuando. 89.

Cap X. Oſtenditur illum Commentarium euacuare peccatum originale.. 100.

Cap. XI. Oſtenditur clariſſimè pœnam gehennæ eſſe peccato originali debitam. 110.

Cap. XII.

Digitized by Google

Cap. XII. Idem intentum, videlicet pœnam gehennæ originali deberi, ampliùs confirmatur. 120.

Cap. XIII. Indagatur an ille Commentarius pœnam gehennæ originali deberi negans, omneſque in hoc illum ſequentes, euacuent originale? Aliæque opiniones apud quoſdam celebres, diſcutiuntur. 128.

Cap. XIV. Deſtruitur ſententia triſtitiam à prædictis paruulis excludens, ſuadeturque illos neceſſariò paſſuros triſtitiam, etiamſi nullam ignis pœnam eos pati fingeremus. 135.

Cap. XV. Satisfit authoritatibus Naziazeni, & Pontificis Innocentij. 143.

Cap. XVI. Examinatur authoritas illa B. Auguſtini ex lib. 3. de lib. arbit. oſtenditurque, magis ex ea impugnari, quàm iuuari iſtorum Modernorum opinionem. 150.

Cap. XVII. Refellitur quædam obiectio, indagaturque genuinus illorum verborum B. Auguſt. ſenſus. 157.

Cap. XVIII. Alia aduerſariorum argumenta refelluntur, quæ omnia eò tendunt, vt prædicti paruuli ab omni moleſtia liberentur atque adeò à gehenna. 168.

Cap. XIX Authoritas doctrinæ Beatiſſimi Auguſt. ponderatur, oſtenditurque, ſcholaſticas opiniones ei præiudicare non poſſe. 175.

Cap. XX. Aliud celebre principium reijcitur, examinaturque an ſit de Pelagianiſmo ſuſpectum. 186.

Cap XXI. Satisfit motiuo prædictorum Theologorum, perſtringiturque cenſura parùm ſobria cuiuſdam moderni de B. Auguſt. 196.

Cap. XXII. Impugnatur ſententia de Beatitudine naturali paruulorum: examinaturque an Pelagiani ſolam naturalem beatitudinem paruulis promittebant, vt quidam modernus ſentit. 203.

Cap. XXIII. Oſtenditur claré contra iam citatam ſententiam ex Auguſt. Pelagianos prædictis paruulis promiſiſſe beatitudinem ſupernaturalem, & à præfato moderno, non ſufficienter probari aſſertores beatitudinis naturalis paruulorum introducere Pelagianiſmum. 211.

Cap. XXIV: Diſputatur fusè an ſententia de beatitudine naturali paruulorum aduerſetur fortè Euangelio, & vtrum vehementi ſuſpicione Pelagianiſmi forsàn laborare videatur. 224.

Digitized by Google

Cap. XXV. Confertur grauitas peccati originalis, eiuſque pœnarum cum aliorum peccatorum, eorumque pœnarum grauitate, & indagatur an damnatio æterna ei debeatur ratione ſui. 238.

Cap. XXVI. Redarguuntur quidam alij qui ad Scripturam ſacram parùm fortè conformiter loqui videntur, quique ſententiæ B. Auguſtini eius fundamenta nequaquàm penetrantes, ante victoriam inſultant. 264

Operis Conclvs. Tutiſſimum eſſe ſtudioſo veritatis ad Scripturas diuinas ac myſteria fidei noſtræ rectè intelligenda, (ſi liberalibus diſciplinis vſui veritatis aptioribus inſtructus fuerit) doctrinæ B. Auguſt. diligentem operam nauare, eique fortiter adhærere; eiuſque regulas ad indagandam, & eruendam veritatem vigilanter obſeruare. 282.

ERRATA.

Pag. 19. lin. 2. ac ſynceram, leg quàm ſynceram pag. 25. lin. antepenult. ex tàm multis, leg. ex multis pag. 39 lin. 21. incredulus, l g incredulum. pag. 74. lin. 13. Arans. leg. Arauſicanum. pag. 77. lin. penult indico, leg indice. pag. 95 lin. 1. ſeu ville, leg. ſeu velle. pag. 130. lin. 11. negebant, leg. negabant. pag. 149. lin. 12. ſupſcipiunt, leg. ſuſcipiunt. pag. 146. lin. 6. pacientur, leg. patientur. pag. 132 lin. 17. in eodem Epiſtola, leg in eadem. pag. 187. lin. 21. opolentos, leg opulentos pag. 204. lin. 10. percagendum, leg peragendum. pag. 208. lin. antepenult. cantos, leg cautos. pag. 209. lin. 15. ſecuti, leg. ſicuti. pag. 210. lin. 20. Palagiana, leg. Pelagiana. pag 215 lin 18. Augiſtini, leg. Auguſtini. pag. 216. lin. 13. ſupernaturalam, leg. ſupernaturalem. pag. 216. lin. 1 probatur, leg. probantur pag. 218. lin antepenult qu. leg. quâ. pag. 237 lin. 13 d mnationem, leg damnationem. pag. 257. lin. 1. mitiſſimis, leg. miſſimis. pag. 284. lin. 16. noſtram, l g noſtrum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google